


HOFFMANS

IN

SCHOLIA HORATIANA

QUAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM ACADEMIA MONASTERIENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE OBTINENDOS
DIE V. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXXIV,
IN PUBLICO DEFENDET
SCRIPTOR

W.
GUILELMUS AUGUSTINUS HOFFMANS,
RHENANUS.

MONASTERII,
EX TYPOGRAPHIA THEISSINGIANA.

MDCCCLXXIV.

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

DISSERTATIONE PHILOLOGICA

IN

SCHOLIA HORATIANA

QUAESTIONES SELECTAE

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE V. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXXIV

IN PUBLICO DEFENDET

GUILELMUS AUGUSTINUS HOFFMANS

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

GERH. TERWELP, PRESB. DR. ET CAND. PROB. PHIL.
FRANC. SCHUMACHER, DR. ET CAND. PROB. PHIL.
FEL. BRUELL, STUD. THEOL. ET PHIL.

MONASTERII,

EX TYPOGRAPHIA THEISSINGIANA.

MDCCCLXXIV.

THESES.

I. Horat. Sat. I, 1, 88 „An si“ legendum, sed aliter, atque Bentleius fecit, explicandum est.

II. Thucyd. VI, 24, 3 „*ἔν τε τῷ παρόντι ἀργύριον οἴσειν, καὶ προσκτήσασθαι, δύναμιν*, non *προσκτήσεσθαι*, legendum est.

III. Tertia lex Valeria-Horatia („ut, quod tributim plebs iussisset, populum teneret“) sic intellegenda est, ut auctoritatem senatus necessariam füisse statuamus.

IV. Ea, quae „Acron“ et Porphyrion de Alfeno, qui ab Horatio Sat. I, 3, 130 nominatur, tradunt, nullam offensionem habent.

V. Horat. Ep. II, 2, 8 „argilla quidvis imitabitur uda“, non „arg. quidv. imitaberis uda“, legendum est.

VI. Tribus Romanae, quae a Servio Tullio conditae sunt, iam a principio non solum plebem, sed etiam patricios continebant.

VITA.

Natus sum Guilelmus Augustinus Hoffmans in urbe Duelken a. d. VIII. Id. Apriles a. h. s. LIII patre Godofredo, matre Mechthilde, e gente Hauptmans, quorum alteram iam quinto aetatis meae anno ereptam mihi esse valde doleo, alterum adhuc superstitem pio animo colo atque veneror. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis in patria mea imbutus duodecim annos natus in Collegium Augustinianum, quod erat Gaesdonckiae, receptus sum, ubi per quinquennium ducibus optimis praeceptoribus ad studia incubui; illis omnibus, praecipue VV. CC. Rectori Perger et Doctori Ebben, gratias habeo quam maximas. Deinde cum maturititatis testimonium adeptus essem, almam academiam Monasteriensem petii atque per duo semestria scholas frequentavi VV. CC. Stoeckl, Winiewski p. m., Langen, Niehues, Parmet, Hagemann, Bickell, Nordhoff. Tum universitatem Berolinensem adii ibique per tria semestria audivi VV. CC. Haupt p. m., Mommsen, Bonitz, Kirchhoff, Huebner, Droysen, Curtius, atque per duo semestria exercitationibus ad historiam Romanam atque antiquitates spectantibus, quibus V. C. Mommsen praeerat, interfui. Inde ad academiam Monasteriensem reversum per annum me docuerunt VV. CC. Winiewski p. m., Langen, Rospatt, Niehues, atque per unum semestre seminarii philologici sodalis extraordinarius fui.

Viris omnibus, quos nominavi, doctissimis pro illorum in me meritis gratias ago quam maximas.

PATRI CARISSIMO

HOC STUDIORUM TIROCINIUM

SACRUM ESSE VULT

AUCTOR.

Cum magna voluptate inde a primis studiis academicis Horatii satiras legissem, libenter amicum quendam secutus sum hortantem, ut scholia, quae ad satiras exstant, tractarem ac praecipue, quaenam ex iis, quae „Acronis“ vocantur, antiquissimo tempore orta et, ex his quaenam ipsi noto illi grammatico adiudicanda essent, probarem atque inquirerem. Ad quam rem statim mihi apparebat necesse esse prius has duas res quaerere: primum, qui omnino fuissent Horatii scholiastae; deinde, ex fontium auctoritate idemne „Acronis“ atque Helenii Acronis commentarius videretur. Quod munus cum absolvissem ita, ut in fontibus „Acronis“ commentarium Helenio Acroni tribui pro certo haberem, ad ipsa satirarum scholia inspicienda atque cognoscenda me contuli atque, ne nimia opera atque labor mihi esset, quinque tantum priores primi libri satiras tractavi. Rem igitur quam diligentissime persequenti cum permulta mihi visa essent ipsi Helenio Acroni attribuenda esse, quod tota haec res usque ad id tempus sub iudice esset, operae pretium facturum me esse putabam, si, quae profecissem, quantulacumque essent, huius almae academiae amplissimo philosophorum ordini proponerem; atque sperabam, si qua temeritas atque inconstantia iudicii occurrisset, ob ingenium iuvenile et ob rei difficultates veniam datum iri.

Agam igitur primum breviter de hac re, qui Horatii scholiastae fuerint, atque praecipue inquiram, ex fontium auctoritate idemne „Acronis“ atque Helenii Acronis commentarius videatur, qua quaestione absoluta ea, quae contra

id, quod probavero, dicuntur, percurram; deinde ex scholiis, quae ad quinque priores primi libri satiras scripta sunt, selecta atque ea, quae maioris mihi videantur momenti esse, tractabo; in fine denique ea, quae ex horum scholiorum cognitione de universo commentarii „Acroniani" genere atque natura mihi sequi videantur, summatim proponam.

Pars prior.

Quaeritur et, qui omnino fuerint Horatii scholiastae, et, ex fontium auctoritate idemne „Acronis" atque Helenii Acronis commentarius videatur.

Caput I.

Quaeritur, qui fuerint Horatii scholiastae.

Qui fuerint Horatii scholiastae, complures nobis, quales in aliquot illius poematum codicibus manuscriptis leguntur, vitae Horatii tradunt. Quas consulamus et, quatenus fides illis habenda sit, probemus.

Duae igitur vitae maxime inter ceteras notandae sunt, quarum alteram, „ex vetusto quodam exemplari" vel „ex antiquo codice" sumptam, Mich. Bentinus in editione Horatii Basileensi a. MDXXVII vulgavit, altera secundum inter tres illas, quae in „vetusto codice Blandinio" legebantur, locum tenebat atque a Jac. Cruquio in „Appendice" editionis Horatianae a. MDCXI p. 697 offertur. Quarum illa hoc in fine praebet:

Commentati sunt illum Porphyrion, Modestus, J. Gelenius, Acron, omnium optime C. Aemilius [1]"; altera, quae exceptis paucis rebus atque minimis cum illa consentit [2]), hoc offert:

Commentati sunt in illum Porphyrion, Modestus, Helenius Acron, omnium autem optime Acron".

Ad primum igitur eorum, qui hic nominati sunt, Porphyrionem, quod attinet, commentarius Horatianus cum eius nomine praeposito in compluribus codicibus manuscriptis continetur, quorum antiquissimus, Monacensis, a viris doctis saeculo IX—X assignatur. Sane testimonia antiquorum si requirimus, a Charisio (p. 220, 28 Keil) solum et a scholiasta Lucani (ad Pharsaliam I, 214), atque a neutro cum Horatii interpretis significatione commemoratur; sed tamen, quod scholiasta ille ex Porphyrione tradit [3]), ad Horatii Carm. IV, 10, 4 [4]) optime quadrat et, cum nulla re probetur pro Lucani interprete Porphyrionem illic notari, mihi quidem ad hunc ipsum Horatii locum referendum illud esse videtur; neque enim, quod eam explicationem in „Porphyrionis" commentario non reperimus, offendere nos potest, cum, si paulo diligentius illum inspicimus, minime dubium sit, quin permulta exciderint. Sed, quidcumque de hac re iudicamus, illud, quod complures codices atque inter eos unus summae antiquitatis scholia Horatiana, quae quidem minime spernenda sunt, Porphyrionis nomini adsignata prae-

---

1) Ex edit. Basil. a. MDXXVII hoc idem Georg. Fabricius in edit. Basil. a. MDXLV et Nic. Hoenigerus in edit. Basil. a. MDLXXX transtulit, nisi quod Fabricius, et cum eo Hoenigerus, pro „J. Gelenius, Acron" „Helenius Acron" posuit.

2) Secundum Hauthalium (Mus. Rhenan. a. 1847, p. 516).

3) „Porfirion puniceum interpretatus est, quasi phoeniceum . . . . . „ Cornutus vero etc."

4) „nunc et qui color est puniceae flore prior rosae"

ferunt, satis auctoritatis habet, ut re vera Porphyrionem auctorem illorum statuamus.

Deinde, quod ad Modestum pertinet, neque commentarius Horatianus, qui ei tribuatur, in ullo codice continetur neque ab ullo scriptore antiquo vel grammatico Horatii potissimum poemata explicasse ille traditur, id quod, si re vera Horatii interpres fuisset, apud Porphyrionem, quem post illum floruisse constat, maxime mirandum esset. Itaque de Modesto vitarum illarum auctoritas, quippe quas praeter Suetonianam aevo medio ortas esse inter omnes pro certo habeatur, non satis mihi quidem valet, atque, quod Horatii commentator ille nominatur, sic fortasse enodandum est, ut Modestum in scriptis suis grammaticis saepius locos Horatianos explicasse statuamus.

Tertio loco in vita a Bentino edita „J. Gelenius, Acron", in vita vetusti codicis Blandinii eodem fere modo composita „Helenius Acron" sequitur. In illa igitur pro uno scholiasta "Helenio Acrone" duo, „J. Gelenius" et „Acron", positi sunt; sed grammaticus, cui „J. Gelenii" nomen fuerit, prorsus nobis ignotus est, cum Helenius Acron a Charisio grammatico saepius [5]) atque bis (p. 210 K.) pro ipsius Horatii interprete afferatur; quam ob rem dubitandum non est, quin forma „J. Gelenius" per mendum librarii ex „Helenius" orta sit, id quod facile fieri potuit, si codex ille Bentini, sane ab illo „vetustum exemplar" nominatus, saeculum XIII non superavit; ab exeunte enim saeculo XII litteram „h" sic constat scriptam esse, ut facillime pro ea duae litterae „i" et „g" legi possent; interpunctionem autem, qua verba „J. Gelenius" et „Acron" separantur, nullius momenti esse apparet. Itaque ex duabus vitis illis unus Horatii commentator Helenius Acron exsistit, quem Cha-

---

5) I, p. 210 K.; 201, 3; 216, 9 etc.

risii testimonium tuetur; qui utrum idem atque Acron vulgatus putandus sit necne, postea videbimus.

Quartum etiam Horatii commentatorem vita illa a Bentino edita „C. Aemilium“ numerat, quem Fabricius, Hoenigerus atque nostra aetate Mitscherlichius (in Praefat. Edit. Jani) et Suringarius (Historia critica Scholiastarum latinorum Lugd. Bat. 1834. 1835) tenuerunt atque defenderunt. Quorum virorum iudicii temeritate valde miror; neque enim aliunde Horatii scholiasta eius nominis ac ne grammaticus quidem notus est et, quomodo illud nomen in scholiastarum numerum venisset, F. Hauthalius (Mus. Rhen. a. 1847, p. 516) ratione admodum verisimili demonstrasse mihi videtur; statuit enim vir ille doctus illud „C. Aemilius“ ex ineunte inscriptione primi carminis libri primi ortum esse, qualem in Codice Vat. 3259 saec. XI atque in Bernensi 363 saec. VIII invenerit; in illo enim primum carmen sic esse inscriptum: Emilium ad Maecenatem“, in hoc: C. Aemilium ad Maecenatem“, atque in utroque hanc inscriptionem ipsum finem vitae a prima manu scriptae succedere. Itaque sic in illa vita a Bentino edita legendum puto:

Commentati sunt illum Porphyrion, Modestus, Helenius Acron omnium optime“

vel: Commentati . . . . . . Modestus, Helenius autem Acron omnium optime;“

coniunctio enim „autem“ aut genuina atque, postquam in fine „C. Aemilius“ additum erat, translata aut tum demum, cum illud factum erat, interposita est.

Praeter hos, quos vitae nominant, scholiastas nonnulli alium etiam ex Charisio p. 202, 28 K. petierunt; eo enim, quod illic dicatur: Q. Terentius Scaurus in commentariis in artem poeticam libro X“, Horatii artem poeticam significari existimant. Sed et, illud ipsum si spectamus, minime probabile est in solum il-

lud Horatii poema Scaurum decem commentariorum libros conscripsisse, et ex iis, quae Charisius p. 210, 21 K. et Porphyrion ad Horatii Sat. II, 9, 92 ex Scauri commentariis[6]) afferunt, satis apparet latius illos patuisse; Charisius enim illic Scauri explicationem v. 1 libri I Aeneidos Vergilianae commemorat, et Porphyrionis scholion illud ad verbum „obstipo“ („stes capite obstipo“), quod in Horatii arte poetica non reperitur, positum est atque sic se habet: Stes capite obstipo. Tristi ac severo. Scaurus „inclinato“ dicit“. Itaque Charisii ille locus aut sic intellegendus est, ut Scaurum in omnia Horatii poemata decem commentariorum libros atque decimum librum in illius „artem poeticam“ scripsisse statuamus, id quod mihi quidem nimis artificiosum esse videtur, aut sic, ut cum Bernhardy (in „Prooemio ad Hor. epist. ad Pison.“, Ind. schol. Univ. Halens. 1847 pag. III, n. 2) „institutiones elocutionis poeticae“ illos commentarios fuisse existimemus.

Caput II.

Quaeritur, ex fontium auctoritate idemne „Acronis“ atque Helenii Acronis commentarius videatur.

Ad diiudicandum, ex fontium auctoritate idemne „Acronis“ atque Helenii Acronis commentarius videatur, videndum est, antiquisne iam in codicibus ipsi Acroni scholia illa tribuantur. Quod sane negandum est, cum in iis demum, qui saeculo XV assignantur, Acronis nomen ipsis scholiis impositum sit. Sed, quo tempore antiqui codices scripti sunt, eadem illa scholia Acroni tributa tamen esse

6) Quamquam Porphyrion nihil aliud nisi „Scaurus“ dicit, tamen ad illos commentarios hoc referendum esse pro certo statui optest.

iam demonstraturum me esse puto. H. Usenerus[7]) enim in glossario „Bonaventurae", quod saeculo VIII—X adiudicandum esse dicit, in pag. 698 hanc glossam invenit: Zanga. pellis. Acro „nigris medium impeditus crus pellibus;" quae glossa eadem in praestantissimo „Acronis" codice, Parisino 7975 saec. XI (γ notato)[8]) ad Sat. I, 6, 27. 28 exstat; etsi enim Acronis nomen in codice γ non reperitur, tamen illius scholia, quia cum illis, quae Acronis nomen ostendunt, in universum consentiunt, eodem, quo haec, iure ab illo nominantur; qua ex re hoc pro certo fere evincitur in illud glossarium eam glossam ex Horatii commentario fluxisse, qui cum Acronis nomine vulgatus esset atque in universum cum nostris „Acronis" commentariis consentiret.

Itaque, cum demonstraverim iam saeculo VIII—X nostrum „Acronis" commentarium cum eodem nomine notum fuisse, restat, ut cognoscamus, hic „Acron" idemne atque Helenius Acron existimatus sit, quod si pro certo statuendum est, maximam habet verisimilitudinem Helenii Acronis commentarium aliqua certe ex parte apud „Acronem" exstare.

Vitas igitur illas si inspicimus, ex forma Bentinianae certe illo, quo Bentini ille codex scriptus sit, tempore „Acronem" eundem atque Helenium Acronem putatum esse probandum videtur; in fine enim illius vitae, quem proposui, solus „Helenius Acron" commemoratur; atqui si alius tum „Acron" atque Helenius Acron visus esset, vix dubi-

---

7) cf. Mus. Rhen. XXIII p. 190 sq.

8) Etiam in „Commentario Cruquiano" hanc glossam ad eundem Horatii locum legimus; sed cum multum ille ab „Acronis" commentariis distet, id quod in scholiis singulis iudicandis exponam, hic eum relinquendum puto.

tandum est, quin auctor illius vitae aut, si iam initio medii aevi orta illa est, is, qui in illum codicem eam transtulit, vel aliquis, qui eam legit, „Acronis" nomen additurus fuerit, praesertim cum ex magno numero „Acronis" codicum permultum eius scholia per medium aevum valuisse appareat. — Ad alteram, quam supra (cap. I, pag. 2) adhibui, vitam quod pertinet, Blandinii antiquissimi dico, ex illius forma videtur sane comprobari eo, quo haec scripta sit, tempore, sive saeculo IX—X, quo tempore secundum Cruquium codex ille ortus est, sive superiori assignamus, „Acronem" ab Helenio Acrone disiunctum esse; legitur enim illic: . . . . . . „Helenius Acron, omnium autem optime Acron". Sed cum ex maxima similitudine, quae inter duas vitas illas intercedit, Blandinianam ex eodem, atque Bentinianam, fonte manasse appareat, vix dubium est, quin forma Bentinianae genuina sit, quod „Acronis" significatio et, si a principio posita fuisset, nulla causa videtur, qua interitura fuerit, et, si non ab auctore vitae profecta erat, facile addi potuit ex eo, quod fortasse multis Helenius Acron pro Horatii interprete ignotus erat. — Ex qua causa eadem ea, quae in vitis eiusdem fontis, quas alii tenent codices, leguntur, explicanda videntur. Editio enim Mediolanensis a. 1474 praebet: . . . . . . Porphyrion, Modestus, Helenus: et Acron omnibus melius;" codex „Acronis" Guelferbytanus[9]) (G notatus): Porphyrion . . . . Helenus et Acron omnibus melius;" Monacensis 1.[10]): . . . . Helenus et Acron, melius omnibus Acron;" Monacensis 5.[10]): . . . . . . Helenus. Melius tamen omnibus Acron.

---

9) Ex hoc et duobus, qui sequuntur, codicibus haec affert Kirchnerus „Novae quaestiones Horatianae" p. 43. 44.

10) a Kirchnero l. c. sic notatus.

Itaque cum ex iis, quae dixi, verisimile videatur aevo medio „Acronem“ pro Helenio Acrone vulgatum fuisse, nihil aliud restat nisi, ut ea, quae ad hanc opinionem refellendam dicuntur, cognoscamus atque expendamus. Atque, ne longus sim, eorum tantum, qui novissimo tempore latius de hac re disseruerunt, H. Useneri et O. Kelleri iudicia eligam; quorum illud in „commentatione de scholiis Horatianis“ (Bern 1863)[11]), hoc in „Symbolis philologorum Bonnensium“ (p. 491 sqq.) positum est.

Illic igitur summa iudicii his duobus locis (p. VII) continetur: hunc Horatii scholiastam (sc. „Acronem“) pravissime confundi cum grammatico probatissimo Antoninorum aetati a Schottmuellero ratione satis certa adscripto quaevis littera clamat et dudum est intellectum“, atque inferius: qui emendari restituive is Acron potest, qui nullus est? — excussis omnibus saec. IX, X, XI codicibus, quibus scholia Horatiana adscripta sunt, colligenda atque componenda erunt, quaecumque non in Scotorum Francorumque ludis orta, sed antiquitus quovis modo tradita esse videantur. servata enim sunt in his libris, quae Porphyrion in suis aut non invenerat aut neglexerat.“ Ad hanc sententiam quod attinet, equidem primum videre nequeo, ex qua causa „Acronis“ scholiorum, quae in codicibus saec. IX, X, XI insint, illa pars, quae „antiquitus tradita esse videatur“, non uni antiquo grammatico adsignanda sit, cum recte Schweikertus[12]) admoneat negari non posse „certam et propriam explicandi rationem grammaticam“ illis „Acronis“ scholiis „propagari“; deinde, cum nullum, qui ante Porphyrionem Horatii carmina interpretatus sit,

---

11) Hanc commentationem cum ipsam mihi parare non potuerim, ea tantum ex illa cognoscere potui, quae E. Schweikertus in „epistola critica ad Hermannum Usenerum“ affert.

12) l. c. p. 11.

scholiastam noverimus, non video, quare non ipsi Acroni, qui in aliquot codicibus auctor nominatur, illam antiquam scholiorum partem tribuere debeamus. — Itaque cum Usenero adsentiri minime possim, ad ea, quae O. Kellerus (l. c.) exposuit, iam transibo. Ille igitur scholiorum, quae sub Acronis nomine ferantur, collectionem in duas partes diversas discernendam esse censet, quarum alteram iis, quae ad quatuor carminum libros atque ad epodos scripta sint, scholiis contineri et saeculo V ineunte esse compositam, alteram, quae quidem cetera complectatur, exeunte eodem saeculo ortam esse; hanc posteriorem fortasse dicit a Fulgentio mythologo, qui fine saeculi V floruerit, esse profectam; quem tamen vel quicumque alius partis illius auctor sit, etiam prioris partis ea scholia, quae ad carminum librum quartum atque ad epodos exstent, ab auctore illius propterea, quod permulta in illo de personis Horatianis atque de rebus exposita essent, sumpta nobis tradidisse; auctorem denique prioris illius commentarii Pseudo-Acronem Kellerus nominat. Itaque cum universum viri illius docti iudicium proposuerim, priusquam, ex quibus causis „Acronis" commentarium non ad Helenium Acronem referendum esse censeat, cognoscamus atque probemus, aetas Helenii Acronis, quod multum illa ad eas aestimandas valet, nobis statuenda est, atque equidem cum Teuffelio facio, qui in historia litterarum latinarum (III, n. 370) illum aeque ac Porphyrionem ineunti saec. III tribuit. Primi igitur argumenti loco multa verba inusitata ex „Acronis" scholiis Kellerus refert; quae tamen ipse excusari posse dicit, quod eorum pauca tantum apud scriptores quarti demum vel quinti saeculi reperiantur, cetera iam secundo usurpata sint; quo nihil iam addam, nisi ut aliquot verba rara apud grammaticum nihil offensionis habere dicam. — Deinde, quod ad secundum argumentum attinet, id dico, quod de

antiquis sacris atque diebus festis locis omnibus tempore imperfecto dicatur, non praesenti, valde hoc lubricum est atque, si locos illos accuratius inspicimus, ad nihil fere reducitur; partim enim illos aevo medio ex Porphyrione translatos esse apparet [13]); partim [14]) ita se habent, ut altera codicum pars praesens tempus, altera imperfectum praebeat; maxima autem ex parte [15]) tantam antiquitatis atque scriptorum veterum inscitiam prae se ferunt, ut omnino antiquo grammatico adscribi non posse equidem pro certo habeam; in iis denique, qui restant, propterea, quod permultum media aetate scholia „Acroniana" trita esse apparet, non temerarium sit existimare praesens tempus ab auctore scriptum postea imperfecto mutatum esse, atque hoc eo magis probandum est, cum praesens tempus in quibusdam, quos supra (adnot. 14.) nominavimus, locis, parte quidem codicum servatum sit. — Iam, quod Kellerus dicit ex ea re, quod „Acron" ad c. III, 4, 31 atque ad III, 5, 1 „Persae", non „Parthi", et ad III, 5, 9 „bellum Persicum", non „bellum Parthicum" dicat, concludendum esse eius tempore Parthorum regnum iam exstinctum fuisse, id quod anno CCXXVI p. Chr. n. factum esse constat, mihi quidem etiam tum, si „Acron" ante illud tempus fuit, ex eo, quod Horatius potissimum saepius „Persae" poetice pro „Parthi" dicit, facillime, ut et ipse in eiusdem Horatii carminibus explicandis illam significationem suam faceret, fieri potuisse videtur. Illi autem duo loci, quorum altero (ad c. IV, 15, 22) „Getae" Horatii per „Go-

---

13) Huc refero c. I, 36, 1; II, 16, 14; III, 19, 17.

14) Huc refero c. I, 36, 1; epod. 2, 59; ad c. III, 8, 1 non in ipso quidem, ad quem Kellerus nos revocat, loco, sed in eodem tamen scholio ante illum codices Aγ „dicuntur" exhibent, ubi reliqui „dicebantur." (Codices atque editiones cum Hauthalio signo).

15) Huc spectant III, 23, 3; IV, 5, 32; IV, 15, 25; I, 37, 3.

thi", altero (ad c. II, 11, 2) „Scythes" per „gens septemtrionalis post Hunnorum dicta" explicatur, eo magis non ab ipso auctore profecti esse videntur, quod ille in codicibus 2, 1, G et in editionibus rmvca, hic in omnibus et codicibus et editionibus praeter Aγ omittitur. — Neque magis jure vir ille doctus ex eo, quod in scholio, quod ad c. III, 3, 62 scriptum est, ineunte pars Porphyrionis ad eundem versum scholii exstat, atque ex permultis, qui apud „Acronem" reperiuntur, locis Terentianis concludere mihi videtur ex Porphyrione atque ex Helenio Acrone, noto illo Terentii interprete, „Acronem" hausisse; nam, cum permulta in „Acronis" commentario, quae Porphyrionis scholiis similia sint atque saepe ad verbum respondeant illis, reperiamus, ita ut nullo modo ab ipso „Acrone" profecta esse possint, sed serius potius illius scholiis adiuncta illa esse appareat, idem hoc etiam de loco illo probabile est; locos autem Terentianos eodem iure pro ipsius Helenii Acronis, atque eius, qui ex eo hauserit, signo valere nemo est, qui negare possit. — Deinde, ut Helenio Acrone indignum commentarium nostrum esse demonstret, ad multa scholia Kellerus revocat, in quibus partim [16]) inepti aliquid dicatur, partim [17]) aut in geographia aut in rerum historia aut in historia naturae aut in litterarum historia aliquid peccetur. Sane, si loci illi omnes ipsius auctoris essent, sine ulla dubitatione ab Helenio

---

16) c. I, 3, 9; I, 3, 24; I, 6, 18; I, 36, 8; III, 20, 1. 5; III, 24, 58.

17) a.: c. II, 18, 3; III, 4, 61; III, 19, 8; IV, 2, 13; IV, 14, 10; epod. 13, 14.
b.: c. II, 1, 1; II, 1, 28 (hoc scholion huc non referendum mihi videtur); II. 2, 1; II, 19, 16; III, 1, 17; III, 6, 34. 35; III, 19, 2.
c.: c. II, 13, 40; IV, 12, 16; epod. 2, 53.
d: c. II, 2, 1; IV, 9, 9.

Acrone, grammatico illo a Charisio laudato, commentarius noster abiudicandus esset; sed, cum accuratius eos examinaverim, alii quidem, ut omnes, qui primum locum tenent, spurii, alii corrupti mihi esse videntur, ut in scholio, quod ad c. III, 1, 17 positum est, pro „Diomedes" cum R (corr.), fh (dimocle) atque Hauthalio „Damocles" legere velim; reliquos autem genuinos illos quidem, sed ex falsa memoria vel alio modo excusandos existimo. — Eam denique causam, ex qua Kellerus in duas illas, quas memoravi, partes scholia „Acroniana" discernenda esse affirmat, ipsis scholiis equidem non comprobatam video; dicit enim in scholiis inde a quarto carminum libro locos Vergilianos his verbis: „ut Maro" vel „Maronianum" semper fere signari, cum ad priores carminum libros semper „Vergilii" nomen afferatur; at equidem excussis omnibus, ubi ex Vergilio aliquid adhibetur, locis etiam inde a quarto carminum libro multo saepius „Vergilii", quam „Maronis" nomen reperi; illud enim secundum Hauthalii scholiorum editionem his locis exstat:

Hor. Sat. II, 6, 52 (Virg. Bucol. I, 7); Carm. Saecul. 59 (B. IV, 5; ARom. schol.); Epod. 16, 51 (B. IV, 21); Carm. IV. 5, 29 (B. IX, 52); Carm. IV, 14, 43 (Georg. I, 10); Sat. I, 5, 94 (G. I, 266); Art. poet. 27 (G. I, 290; γ om. locum); Sat. I, 2, 83 (G. II, 465); Carm. Saecul. 7 (G. II, 534); Sat. I, 1, 25 (G. III, 360); Epod. 6, 6 (G. III, 405—8); Sat. I, 6, 12 (Aen. I, 6; γ om. locum); Carm. IV, 6, 4 (A. I, 284); Carm. IV, 15, 15. 16 (A. I, 287); Sat. 1, 5, 16 (A. I, 738); Carm. IV, 6, 13 (A. II, 15); Carm. IV, 6, 12 (A. II, 26); Sat. II, 3, 206 (A. II, 116); Carm. IV, 4, 55 (A. II, 292); Epod. 1, 32 (A. II, 718); Sat. II, 1, 48 (A. VI, 36); Sat. I, 6, 8 (A. VI. 813; γ om. loc. Verg.); Sat. I, 5, 24 (A. VII, 800); Art. poet. 44 (A. IX);

„Maronis“ autem nomen in sex tantum locis reperitur:

Art. poet. 175 (Bucol. IX, 51); Art. poet. 146 (Aen. I, 34. 35); Art. poet. 158 (A. I, 409); Sat. I, 8, 21 (A. I, 742); Art. poet. 400 (A. VI, 661. 62); Sat. I, 3, 98 (A. VII, 203).

Quam ob rem mihi quidem non dubium videtur, quin illi loci, quibus „Maronis“ nomen usurpatum est, non ab ipso auctore profecti, sed serius demum illati sint.

Itaque cum causarum, ex quibus Helenio Acroni commentarius noster abiudicatur, praecipuas examinaverim atque minime satis illas valere comprobasse me putem, una etiam difficultas solvenda est. Porphyrion enim ad Sat. I, 8, 25 („cum Sagana maiore ulul.“) scribit:

> Memini me legere apud Helenium Acronem, Saganam nomine fuisse Horatii temporibus, libertam Pompei senatoris, qui a triumviris proscriptus est.“

Apparet igitur aut ex commentario Helenii Acronis aut ex aliquo eius „de personis Horatianis“ libro, quem nos sane ignoramus, Porphyrionem illud hausisse; atqui etiam si hoc alterum statuimus, prorsus verisimile est in commentarium quoque illud ab Helenio Acrone relatum esse. Quam ob rem, si aliquam certe huius commentarii partem in scholiis nostris „Acronianis“ inesse putamus, illud ipsum, quod Porphyrion affert, quod ad personam Horatianam pertinet eamque ob rem magni momenti est, iusto fere iure etiam in illis scholiis quaeremus. Atqui ad illum ipsum, quem supra notavi, locum Horatii nihil in „Acrone“ de Saganae persona dicitur, atque ad alterum, quo eadem[18] nominatur, Epod. 5, 25, prorsus aliud,

18) Eandem enim illam esse hac re probatur, quod item, ut Sat. I, 8, 24. 25 pro venefica atque amica „Canidiae“ nominatur.

atque apud Porphyrionem, legimus; hoc enim ibi scholion habemus:

Sagana. Nomen veneficae alterius. Haec senatoris cuiusdam uxor fuit.

Quodsi haec scholii forma genuina est, sane ex Helenio Acrone illud fluxisse negandum est; sed equidem E. Schweikerto („De Porphyrionis et Acronis scholiis Horatianis" Monasterii 1865, p. 46) et Kirchnero („Novae quaestiones Horatianae" p. 59) assentior, qui corruptum illud esse existimant; quod quas ob causas comprobem atque qua ratione illud factum esse coniiciam, breviter exponere mihi liceat. Primum igitur, ut mihi quidem videtur, id, quod habemus, scholion neque ex fonte antiquo traditum neque postea fictum esse potest; illi enim rei obstat, quod minime verisimile est Canidiam vel potius Gratidiam illam, quam „unguentariam" fuisse ex Porphyrione (ad Sat. I, 8, 23) atque ex „Acrone" (ad Sat. I, 8, 24) constat, senatoris uxorem pro amica habuisse; alteri, quod nullum in Horatii carminibus vestigium inest, quod illud scholion sequi videatur; nihil igitur restat nisi, ut ex alio scholio atque genuino illo quidem factum illud esse statuamus. Ex Helenii autem Acronis potissimum scholio, quod Porphyrion tradit, ortum mihi esse videtur sic, ut „Pompeii" nomen oblitteratum generali notione „cuiusdam" mutatum, pro „liberta" autem ab aliquo, qui eo, quod Gratidia, Horatii amica[19]), libertae amicitia usa esset, offenderetur, temere sane, „uxoris" notio posita sit. Sed quidcumque de hac mea coniectura iudicabitur, at certe tam obscura haec res atque difficilis est, ut propter illam

19) Horatii amicam illam fuisse prorsus verisimile est ex eo, quod iocose ille nimis atrociter eius artes magicas in epodo V describit, neque equidem Dillenburgero assentior, qui in hoc epodo „Canidiam" „severe et graviter reprehendi" dicit.

omnino nihil ex Helenii Acronis commentario in „Acroniano" servatum esse contendere mihi quidem temerarium videatur.

His igitur omnibus absolutis iam ad ipsa scholia ex iis, quae ad primi libri quinque priores satiras exstant, selecta inspicienda atque discernenda me conferam, ut, ex iis quid efficiatur, cognoscamus atque intellegamus.

Pars II.

Scholia ex iis, quae ad primi libri quinque priores satiras exstant, selecta critica, quam dicunt, arte probantur atque discernuntur.

Priusquam scholia singula ipsa tractem, quod in aestimandis illis atque emendandis plurimum valet, quos maxime codices vel quem unum maxime sequamur, Hauthalio adsentior, qui in iis, quae ad satiras spectant, scholiis, cum in antiquissimo codice Parisino (A) cum ipsis satiris illa desint, Parisino 7975, γ notato, maximam auctoritatem tribuit[20]), ita tamen, ut non omnibus locis sequendum illum esse putem; illa quomodo ex ipsorum scholiorum forma atque conditione eluceat, aliqua exempla ex primo satirarum libro hic afferre non alienum puto.

Sat. 1.

Ad v. 2. (in fine):

γ: Stoici enim dicunt omnia certa ratione fieri, Epicurei fortuitu.

---

20) cf. „Acronis et Porphyrionis Commentarii in Q. Horatium Flaccum." Castigavit Ferdinandus Hauthal. Pars I. Lipsiae. MDCCCLIX, ubi p. 4. 5 legitur: Eo magis autem dolendum est . . . . . . quo certius est hunc librum (sc. codicem γ) esse unicum inter vetustiores, qui puriores Acronianos q. v. commentarios in Sermones, Epistulas atque Artem poeticam exhibent.

rell. omiserunt „certa“, ita ut solum „ratione“ pro nostro „nach einem bestimmten Plane“ positum sit, id quod fieri non potest.

Ad v. 13:

post scholion vere Acronianum [21]): Fuit tamen Fabius . . . . . . conscripsit“ alterum scholion atque spurium sic legitur:

γ: Hic autem Fabius Pompeianas partes secutus aliquos libros scripsit ad stoicam pertinentes et cum Horatio . . . . loquacem.

rell. omiserunt „aliquos libros scripsit ad stoicam pertinentes et“, quae tamen sine dubio eiusdem, atque reliqua, orginis sunt, quod totum scholion quasi ad amplificandum atque augendum illud vere Acronianum positum esse apparet.

Ad vv. 73—75 („Nescis quo valeat nummus“):

γ: Jncrepat avarum: usum pecuniae ignoras.

rell. „ „ „ „ ignorantem.

Illa, quam γ tenet, forma, magis ad verba Horatii quadrat, quare sine dubio ab ipso auctore (Acrone, ut mihi quidem videtur) scripta est.

Sat. 2.

Ad v. 25 („Malchinus t. d. a.“):

γ: Maecenatem tangit; varicosus enim fuit quidam, delicatior et solutus.

rell. om. „quidam“, sine dubio ex eo, quod non intellectum est; conferantur, quae ad ipsum locum dixi.

Ad. vv. 64—66 (in fine scholiorum):

γ: Qui (sc. Annius Milo) rediens a caena, scilicet a famula (lege: familia) Longareni, adulteri uxoris suae,

---

21) Conferantur, quae de ipso hoc loco infra disputata sunt.

ante aedes suas, ne adulterium deprehenderet, pugnis caesus est et ferro petitus.

rell. om. „scilicet"; conferantur, quae ad ipsum locum dixi.

Sat. 3.

Ad v. 35

praeter unum scholion, quod huc non pertinet, haec exstant:

γ: num qua t. vit. insev. olim Natura. Numquid aliqua vitiorum natura insita fuerit, ut (Aeneid. II, 8): iam nox humida caelo praecipitat.

Inseverit. Ingenuerit, fecerit.

rell. horum scholiorum secundum omittunt, in quo quidem, quamquam „fecerit" nimis generaliter dictum est, „Ingenuerit" tamen optime quadrat, quam ob rem mihi quidem ipsi Acroni hoc tribuendum esse videtur, cum prius illud scholion ita cum Porphyrionis in eundem locum scholio consentiat, ut sine ulla dubitatione ex hoc illud manasse statuendum sit.

Ad v. 38 („amatorem quod amicae"):

γ: Hoc est, quod dicit: non debemus offendi vitiis amicorum, sed nos vitia eorum saltem tolerare debemus. Debemus et nos, inquit, imitari amatores, qui non solum non offenduntur amicarum vitiis, sed etiam laudant.

rell. eidem huic scholio in fine additum habent: quia aliquando turpes meretrices diliguntur", quod tamen cum iis, quae antecedunt, sic coniungi non posse apparet.

Conferatur etiam scholion, quod ad vv. 47. 48 („balbutit Scaurum") positum est, in quo verba „Suaviter autem dixit: balbutit Scaurum"

in omnibus et codicibus et editionibus praeter $\gamma B\varphi$ [22]) male omittuntur; atque scholion, quod ad vv. 58, 59 pertinet, in quo γ recte „astutum“, ceteri prave „stultum“ exhibent.

Sat. 4.

In iis, quae ad v. 21 („Beatus Fannius“) leguntur, scholiis, tertium („Fannius iste malus poeta fuit etc.), quod serioris originis esse ad ipsum locum demonstrabo, γ nullo modo cum iis, quae antecedunt, coniunctum habet, cum ceteri illud per verbum „Aliter“ insertum teneant.

Eorum, quae ad v. 94 („De Capitolini furtis iniecta Petilli“) scripta sunt, scholiorum γ secundum hoc praebet:

Cum Capitolio praeesset . . . . . Capitolinus Petillius dicebatur.

rell. ante „Cum“ etiam nomen „Petillius“ exhibent, quo totum illud, quod serius ortum esse in ipsis scholiis tractandis videbimus, plenum scholion factum est.

Sat. 5.

Ad v. 51 („Caudi cauponas“):

γ: Caudium civitas Samnii. caudi caponas (lege: cauponas). Lucan.: ultra Caudinas speravit vulnera furcas. Non longe autem est a Benevento.

rell. ante Lucani locum, quem quidem a manu secunda inculcatum esse apparet, proprium lemma omittunt atque temere illum quasi cum ceteris cohaerentem ponunt.

---

22) Illud, quod unus vel alter codex aut una vel altera editio, praecipue fh, saepius cum γ facit, certa ratione explicari non potest, cum nemo adhuc, quod sane dolendum est, de codicum atque editionum „Acronis“ familiis accuratius scripserit.

Jam illud, quod in fine scholii ad v. 54 („Osci") positum est atque, cum nullo modo ad ea, quae antecedunt, referri possit, sine dubio postea falso in locum illum venit, sic legitur:

γ: Isti cum convivatores essent Horatii, ioci causa verbis se invicem fatigarunt.

In rell. serius illud factum esse iam oblitteratum est eo, quod pro „Isti cum" verba „Cum autem" posita sunt, ut per formam quidem ea, quae sequuntur, cum scholio reliquo cohaereant.

Sat. 6.

Ad vv. 19—21 („Nam esto") in fine sic legitur:

γ: Quanto nos, inquit, minus ad honores possumus pervenire, qui vulgo ignoti sumus, si etiam nobiles notantur a populo?

rell. „nos," quod prorsus necessarium esse apparet, omittunt.

Ad v. 93 („nam si nat. i."):

γ: Id est: si natura concederet, ut homines renascerentur (hoc serius illatum est). Quodsi natura faceret —

rell. post „renascerentur" „vel" habent.

Etiam ex reliquis primi libri satiris exempla, quibus magna codicis γ auctoritas probetur, in promptu sunt; quae tamen, ne longus sim, praetereo.

Jam hic puto non alienum esse pauca de „Commentatoris Cruquiani" pretio atque auctoritate addere. Atque sane dolendum est, quod Cruquius ad „Commentatorem" suum de hac re, ex quibus singula fontibus sumpserit, nihil dicit atque hoc solum[23]) de illius origine nobiscum communicat, „commentaria antiqua, ex scriptis

---

23) cf. illius „Epistolam ad Cornelium filium," in Artem poeticam commentario praepositam.

praecipue Blandiniis, se collegisse atque coadunavisse;“ hac enim de causa, mea quidem sententia, ea, quibus „Commentator“ ille a nostris scholiorum codicibus distat, quae quidem plurima sunt, in recensendis atque emendandis scholiis, praecipue „Acronianis,“ nullius fere pretii esse possunt; quam ob rem equidem prorsus eum neglegam, exceptis perpaucis locis, ubi in illo potissimum genuina scholii forma servata esse videtur.

Sat. 1.

Ante ipsarum satirarum explicationem in „Acronis“ codicibus quaedam posita sunt, in quibus cum in universum de satirae nomine atque natura tum de satira Horatiana agitur; haec sic leguntur:

> Sermonum libri ideo dicti, quia vili sermone potius quam tumenti, sive qui ad praesentes scribuntur. Epistolis enim ad absentes loquimur, sermone cum praesentibus. Quamvis igitur hoc opus Satiram esse Horatius ipse profiteatur, cum ait (S. II, 1, 1): Sunt quibus in satira videar nimis acer et ultra legem tendere opus, tamen proprios titulos voluit ei accommodari, hos priores libros duos Sermonum, posteriores Epistolarum scribens. Satira dicitur lancis genus tractum a choro Liberi patris, qui est minister vini et epularum. Satira istius inter Lucilii satiram est et Juvenalis; nam et asperitatem habet, quam Lucilius, et suavitatem, quam Juvenalis, mixtam in suo carmine. Denique nisi Juvenalis scripsisset, isto nemo esset melior. Verum tamen sciendum est, quia satirarum carmen a primo omnium auctore Lucilio repertum est. Plerique satiram a lance, quae plena diversis frugibus in templo Cereris refertur, nomen accepisse dicunt; nam et ea hoc nomine appellatur. Ergo et

hoc carmen propterea satiram nominarunt, quia ita multis et variis rebus refertum est, ut audientes saturet. Alii dicunt, quod ideo satira vocata sit, quod ita in vitia[24]) et crimina hominum libere invadat, ut saturati homines i. e. ebrii.

Haec ex compluribus, quae inter se non cohaereant, partibus constare apparet, atque quatuor distinguendas puto sic quidem, ut prima exordium usque ad verba „posteriores Epistolarum scribens," secunda id, quod sequitur, enuntiatum contineat, tertia verbis „Lucilio repertum est" finiatur atque ad quartam reliqua referenda sint. Quaerendum est igitur, Acronine hae partes, vel certe una vel altera, tribuendae sint; quod mihi quidem negandum videtur. Primae enim verba „Quamvis igitur . . . Epistolarum scribens" mira quadam ratione ad Porphyrionem spectant, quam ob rem ex illo ea manasse pro certo habendum est[25]); apud illum enim ante ipsius primae satirae explicationem legitur:

Quamvis satiram esse opus hoc suum Horatius ipse confiteatur, cum ait: Sunt quibus in satira videar nimis acer e. u. l. t. o. tamen proprios titulos ei, voluit accommodare; nam[26]) hos priores duos libros Sermonum, posteriores Epistolarum inscripsit.

Atque etiam illa, quae in prima illa parte restant, ab Acrone abiudicem; utramque enim „sermonum" nominis

---

24) Sic cum X scripsi pro „convicia" (fh: convitia), quod ceteri codices exhibent, quod hoc nullum, qui tolerari possit, sensum praebet.

25) conferatur id, quod supra (p. 12) de iis, qui ad Porphyrionem spectant, locis dixi.

26) „nam," quod codices praebent, retinui, quamquam MR pro lectione vulgari „inscripsit" participium „inscribens" habent, quod illud „iam," quod Hauthalius posuit, non intellego quo sensu tolerari possit, atque „inscribens" per mendum aliquod librarii ortum esse potest.

explicationem illi tribuere id me prohibet, quod, utra vera sit, plane in dubio relictum est, atque ne alterutram quidem ab eo profectam esse puto propterea, quod posterior falsa est, in priore autem „sermone tumenti“ prorsus ineleganter pro „sermone elato“ vel „magnifico“ dictum est; in Porphyrione quidem illa sine ulla alienae originis signo reperitur cum dicat: „In Sermonum autem libris vult intellegi, quasi apud praesentem se loqui, Epistolas vero quasi ad absentes missas;“ fortasse igitur hinc prior explicatio petita est. — Secundam partem serius ortam esse ea de causa censeo, quod neque quidquam in ea de poematis „satirae“ notione continetur, et ab homine aliquo modo latinitatis perito „lancis genus gestum“ pro „tractum“ et „auctor vini et epularum“ vel tale quid pro „minister vini et epularum“ dicendum erat. — Deinde tertium illud ne Acroni demus, id repugnat, quod verbum „sciendum est“ prorsus, ut mihi quidem videtur, contra grammaticorum tertii saeculi dicendi rationem atque etiam contra omnem latinitatem cum coniunctione „quia“ constructum est. — Etiam illas denique duas „satirae“ nominis explicationes, ex quibus pars quarta composita est, quod, utra vera sit, in dubio relictum est, ab Acrone alienas atque ex posterioris temporis grammaticis haustas esse puto.

Ad v. 11 apud Porphyrionem hoc legitur:

> ille d. v. q. r. e. i. u. e. Qui vadimonium promittere sub satisdatione est in urbem venire coactus est. Vades autem sponsores dici notum est, quod qui eos dederit, vadere ei i. e. discedere interim liceat.

Primum huius scholii enuntiatum quomodo planum sensum praebeat, equidem non intellego; quam ob rem corruptum id esse atque sic emendandum puto: „Qui iis, qui vadimonium promisere, sub satisdatione est, in urbem venire coactus est;“ mutatio enim verborum levis-

sima est, cum „iis, qui“ propter id, quod antecedit, „qui“ facile excidere potuerit, atque sententia talis exsistit, ut optime Horatii verba explicentur; dicit enim tum Porphyrion: Qui iis, qui vadimonium (sc. pro eo) promiserunt, satisdare, quod est respondere, debet, in urbem venire cogitur (sic enim ei pro „coactus est“ dicendum erat); ad formam quidem quod attinet, sane coacti aliquid habet, quod, cum verba „in urbem venire coactus est“ nihil aliud valeant nisi, ut illud „sub satisdatione est“ explicent, sic potius dicendum erat: „Is, pro quo alii vadimonium promisere, his sub satisdatione, id est in urbem venire coactus est;“ atque etiam illud „sub satisdatione esse“ prorsus inusitate dictum est; sed tamen hanc dictionis asperitatem non tantam existimo, ut totum enuntiatum a Porphyrione abiudicem, praesertim cum saepissime inusitata quadam dicendi ratione usus sit atque perraro in eius commentarium aliquid interpolatum esse videatur.

Ad eundem versum „Acron“ hoc praebet:

> ille. Rusticus. vadibus. Sponsoribus, a vadimonio, quod promittit is, qui ad iudicium provocatur, certo die adfuturum. Vades ideo dicti, quod qui eos dederit, vadendi habet potestatem.“

Huius scholii pars postrema: „Vades . . . potestatem“ tam apte cum Porphyrionis explicatione consentit, ut equidem ad hunc fontem illam referre non dubitem; in priore autem „Sponsoribus“ in *Bφ* tantum legitur, quam ob rem ut serius ortum eiiciendum est, praesertim cum illi potissimum codices plurimum a ceteris distent atque permulta addita habeant; in reliquis nihil continetur, quod gravius offendat; ad constructionem enim grammaticam quod attinet, ad infinitivum „certo die adfuturum“ ex praecedenti verbo „promittit“ participium „promittens“ referendum est, ita ut per anacoluthiam quandam dictum sit, quasi antecedat: a vadimonio, quod

in eo positum est, ut promittat is, qui . . . . . "; deinde illud „a vadimonio" non sic intellegendum est, quasi „vas" a „vadimonium" derivetur, sed sic potius, ut notio „vadis" ad „vadimonium" referatur; atque, quod „vadimonium promittere" nullo verbo addito de eo, qui „ad iudicium provocatur", dictum est, cum „vadibus uti, qui pro ipso vadimonium promittant" dicendum fuerit, equidem, etsi ex scriptoribus antiquis locos, quibus id probetur, afferre non possum, tamen illud ipsum in verbis „vadimonium promittere" latere posse puto, quod, qui vadibus utitur, re vera ipse per illos, ut ita dicam, promittit. Itaque, quamquam hoc, quod postremo loco notavi, planius dictum velim, admodum bonam hanc explicationem atque ex ipsius Acronis commentario ductam esse censeo. Etiam, quod ad „ille" positum est, „Rusticus," quia recte se habet atque facile aliquis „ille" ad relativum „qui" referre possit, minime auctore illo indignum puto.

Ad vv. 13. 14. „Acron" habet:

> Cetera de genere hoc. Qui diversa laudant de inconstantia.
>
> delassare val. Fab. Id est, valde lassare. Ita sunt multa, ut si velit haec enumerare, homo garrulus nimium fatigetur. Fuit tamen Fabius eques Romanus Narbonensis, qui aliquos libros pertinentes ad Stoicam philosophiam conscripsit. Hic autem Fabius Pompeianas partes secutus cum Horatio de disciplinis saepe contendit; ideo ait loquacem.

Primum explicatio verborum „Cetera de genere hoc" Horatii sententiae minime respondet, cum primis huius satirae versibus omnes homines sorte sua non contentos esse dicat; quam ob rem sine dubio ab Acrone orta illa non est.

Deinde secundi scholii verba prima: „Id est . . . . . . fatigetur", quod apte poetae sententiam exprimunt, non video cur ab Acrone abiudicanda sint. — In

postrema autem parte „Hic autem Fabius . . . . . loquacem" verba „Pompeianas partes secutus" ad Porphyrionis scholion spectant ob eamque rem ex illo derivanda sunt; hoc enim ibi legitur:

„loquacem del. valent Fabium. Quod Fabius Maximus Narbonensis equestri loco natus Pompeianas partes secutus aliquot libros ad Stoicam philosophiam pertinentes conscripsit".

Qua eadem de causa etiam hoc, quod γ post „Pompei. part. secutus" interpositum habet: aliquos libros scripsit ad stoicam pertinentes et . . . . " ex Porphyrione simul cum illo sumptum mihi esse videtur, praesertim, cum aliquid languidi habeat, si post „Pompei. part. secutus" nihil aliud nisi „cum Horatio de discipl. saepe contendit" sequitur, atque hoc scholion posterius quasi ad amplificandum prius „Fuit tamen Fabius . . . . conscripsit" positum esse existimem. Deinde, quod dicitur „cum Horatio de disciplinis saepe contendit," hoc fictum atque ex eo, quod Horatius Fabium illum „loquacis" nomine carpit, conclusum esse videtur; in antiquo enim fonte si traditum esset, dubium non est, quin etiam Porphyrion illud apud eos, „qui de personis Horatianis scripserunt," quos quidem ad Sat. I,3,21 et ad eiusdem satirae v. 91 affert, reperturus atque in commentarium suum excepturus fuerit.

Priorem autem eorum, quae de Fabio dicuntur, partem Acroni tribuendam esse puto; illud enim, quod huius verba aliquo modo Porphyrioni respondent, ex ipsius rei natura facile explicari potest, atque, quod de Fabio idem fere atque a Porphyrione narratur, nihil aliud eo nisi ex communi fonte utrumque auctorem hausisse probatur; nam ex Porphyrione testimonium „Acronianum" ductum esse propterea nego, quod Porphyrionis „Pompeianas partes secutus" illic omittitur.

Ad v. 88 „Acron" hoc exhibet:

An si cogn. Sensus est: An si cognatos, quos tibi gratuitos natura concessit amicos, humanitate tibi devinxeris, ita videris operam perdere, ut qui asino velut equo vult uti? De asino autem proverbiale est. Aliter: at si velis aliquo obsequio, aliqua sedulitate conciliare tibi affines tuos, perdis operam, sicut perdit operam, qui vult docere asinum currere. Nam qui in cursu exercet asinum, perdit operam, quia exercendus equus. — Sicut perdit operam, qui vult asinum frenis regere, ut vice equi fungatur, ita etiam perdit studium, qui sine aliquo beneficio amicos sibi vult retinere. nullo nat. labore q. t. d. Quia nullo nostro labore, nulla industria nobis nascuntur propinqui.

Primum ad huius scholii „recensionem" quod attinet, Hauthalius in lemmate et in primo scholio cum γ (a secunda manu) „At" scripsit; sed, cum γ a prima manu „An" habeat atque hoc idem et in optimis Horatii codicibus praeter γ, ubi „Ac" exstat, et apud Porphyrionem legatur, equidem sine ulla dubitatione „An" ponendum existimo, quod quidem et apud Horatium meliorem sententiarum connexum praebere videtur [27]) et ad loci explicatio-

27) „At" enim si legimus, vv. 88—91 nulla alia nisi, quam Dillenburgerus in editione Horatii sequitur, ratione explicari mihi posse videntur; secundum hanc autem illud ipsum, quod antecedit, „nemo praestat tibi amorem," significari illis versibus apparet, atque coniunctio „At" meo quidem iudicio prorsus inusitate posita est; „An" autem si ponimus, aptissime versus illi ad haec, quae antecedunt: „quem (sc. amorem) non merearis" a poeta relati sunt, ita ut avaro dicat: „An potius credis, si quam operam ad propinquorum vel amicorum benevolentiam, quos natura nullo tuo labore tibi dedit, servandam susceperis, hanc ita perditum iri, ut siquis asellum frenis currere docere velit, quod, sicut natura nullo tuo labore propinquos et amicos tibi dederit, ita etiam sine ulla

nem, quae sequitur, non minus, quam „At", quadrat. In verbis „De asino autem proverbiale est" subiectum desideratur, quam ob rem „hoc" ante „proverbiale" ponendum proposuerim.

Ipsa autem explicatio prima, quae usque ad verbum „Aliter" pertinet, tam apta est, ut vere Acronianam equidem illam existimem. — Duae autem illae, quae sequuntur, non genuinae esse videntur; altera enim non solum propter verbum „Aliter," quod semper fere scholion alterutrum inculcatum esse demonstrat, sed etiam propter nimis accuratam et anxiam explicandi rationem, quae ad usum ludi litterarii aptissima est, maximam suspicionem movet; altera eo refellitur, quod verba „Sicut perdit operam . . . . fungatur" ex Porphyrione petita esse videntur; apud illum enim exstat: . . . . ut si quis velit asinum frenis regere, ut equi fungatur officio? — Etiam extrema pars (nullo nat. labore q. t. d. etc.), quod supervacanea est, serius addita esse videtur.

Ad vv. 101. 102 apud „Acronem" legimus:

quid m. i. s. Fingit sibi respondentem eum, quem adloquitur.

ut vivam Naevius. Naevius tam parcus fuit, ut merito sordidus appellaretur, et contra Cassius Nomentanus tam profusus fuit, ut sestertium septuagies libidini et gulae impenderet. Huius cocum Damam nomine Salustius Crispus centenis milibus aeris conductum habuit. Aliter: Nomentanus

---

tua industria coniuncti illi tibi manere debeant?" Bentleius quidem per hanc sententiam hos versus cum superioribus coniungit, ut poeta significet: „An potius nihili facis a cognatis amari?" Sed hanc sententiam propterea, quod paulo ante (vv. 80—85) calamitatem illius, quem propinqui odissent, poeta avaro ante oculos posuit, equidem minime hic aptam esse censeo; atque etiam minus arcte sic mihi cum superioribus hi versus coniuncti videntur.

aut nomen proprium est aut gentile de Nomentana civitate; significat quendam Cassium luxuriosum, qui inde fuit.

Primum scholion, ut admodum bonum, ab Acrone equidem non abiudicem.

Secundi scholii pars prima sane et singulis, quae traduntur, rebus, et duobus locis etiam verbis et verborum constructionibus mire cum Porphyrionis scholio convenit; apud illum enim legitur:

> Naevius autem fuit in tantum parcus, ut sordidus merito haberetur; Lucius contra Cassius Nomentanus adeo sine respectu calculorum suorum prodigus, ut sestertium septuagies gulae ac libidini impenderit.

Duorum, quos notavi, locorum alteri apud „Acronem“ respondet: „Naevius tam parcus fuit, ut merito sordidus haberetur,“ alteri: „libidini et gulae impenderet.“ Sed propter hanc similitudinem minime „Acronis“ scholion ex Porphyrionis petitum esse iudico; nam, ad res quod attinet, consensus ille sic facile explicari potest, ut grammaticum antiquum illud scholion composuisse statuamus, qui ex tam uberibus, atque Porphyrion, fontibus hauserit; fontes enim eorum hoc loco consensisse vel eosdem fuisse putare nihil nos prohibet; pro ipso autem illo grammatico is, quem solum praeter Porphyrionem Horatii scholiastam novimus, (Helenius) Acron, cum verisimilitudine statuendus est. Sane tum miri aliquid habet, quod uterqne scholiasta ex fontibus suis pro vero accepit Naevium sordidum quendam fuisse, quamquam loco Horatiano, simpliciter atque recte explicato, prorsus illud repugnat atque perversissima huius loci explicatione conclusum id esse apparet, ea quidem, qua Naevius ut exemplum contrarii hominum generis Nomentano, homini luxurioso, opponitur.

Minus autem offensionis hic scholiastarum consensus haberet, si pro vero statuere possemus Acronem maxime a Porphyrione significari, cum de iis dicat, „qui de personis Horatianis scripserunt;“ tum enim cum aliqua verisimilitudine coniicere liceret Acronem in illo libro ex ipsius Horatii loco male intellecto rem illam falsam pro vera statuisse, atque ita, ut de origine eius nihil adiiceret, Porphyrionem autem eam ab illo, quamquam magnam loco Horatiano difficultatem afferre videretur, tamen ut ex antiquis fontibus petitam accepisse. Atque illud ipsum, ad Acronem maxime referendos esse eos, „qui de personis Horatianis scripserunt,“ Weichertus (in disputatione „de Jarbita Timagenis aemulatore“) coniicit, quod etiam alias (ad Sat. I, 8, 25) Acronis testimonium a Porphyrione afferatur. Contra hanc opinionem Suringarius (l. c. III, p. 97) dicit sine dubio Acronem aut, si, antequam commentarium composuerit, „de personis Horatianis“ scripsisset, in illo ad hunc librum revocaturum, aut, si postea hunc scripsisset, non tam multa in illo de personis Horatianis annotaturum fuisse. Quarum causarum equidem primam accipio; ad alteram quod attinet, primum non necesse est statuere Acronem tum, cum commentarium scripserit, iam illius libri componendi consilium habuisse; deinde vero etiam si hoc statuimus, non intellego, cur Acron, cum largius de personis in proprio libro disserturus esset, non iam in commentario breviter de illis disserere voluerit. Sed ea scholia, in quibus Porphyrion eos, „qui de personis Horatianis scripserunt,“ affert, iam accuratius inspiciamus atque cum „Acronis“ scholiis comparemus. Alterum est ad Sat. I, 3, 21, ubi legitur:

> Maenius abs. Novium cum carp. Qui de personis Horatianis scripserunt, aiunt, Maenium et scurrilitate et nepotatu notissimum Romae fuisse. Hic post patrimonium adrosum Kalendis

Januariis in Capitolio clara voce optavit, ut quadringenta milia nummorum aeris alieni haberet. Quaerente quodam, quid sibi vellet, quod tam sollemni die aes alienum habere optaret: Noli mirari, inquit, octingenta debeo. Hic fertur, domo sua, quam ad forum spectantem habuerat, divendita, unam columnam sibi excepisse, unde gladiatores spectaret, quae ex eo Maenii columna nominabatur.

Alterum, quod ad eiusdem satirae v. 91 exstat, sic se habet:

mensave catillum. Euandri man. tritum deiecit ob h. r. Qui de personis Horatianis scripserunt, aiunt, Euandrum hunc caelatorem ac plasten statuarum M. Antonio ab Athenis Alexandriam translatum, inde inter captivos Romam perductum multa opera mirabilia fecisse.

Ad alterum locum „Acron" nihil nisi haec praebet:

Hic est Maenius, qui, venditis rebus omnibus, unam sibi columnam reservavit in Foro, unde gladiatores spectaret, quae Maenia dicebatur.

Ad alterum haec leguntur:

Euandrum ferunt caelatorem ac plasten Atheniensem a M. Antonio Alexandriam perductum et inde inter captivos Romam venisse ibique multa admiratione digna fecisse.

Ad priora scholia quod attinet „Acronianum" ex ipso Porphyrione manasse ad ipsum locum me probaturum esse puto. In posterioribus autem sane aliqua Acronis, qui ipse auctor ibi videtur, cum Porphyrione similitudo miranda est; uterque enim scripsit „caelatorem ac plasten" (Porph. addidit „statuarum"), et illius „multa admiratione digna fecisse" huius „multa opera mirabilia fecisse" respondet. Sed haec verborum similitudo ea solum conditione, Porphyrionem ex Acronis maxime aliquo „de

personis Horatianis" libro hausisse, suspicandi causam nobis afferet, si similibus in illo libro atque in commentario verbis de Euandro illum dixisse statuemus; quod tamen minime verisimile est, atque eo potius similitudo illa orta esse videtur, quod uno eodemque fonte scholiastae hoc loco usi sint, ita quidem, ut etiam verba illa similia inde sumerent; ex qua causa etiam consensum narrationis explicandum esse apparet. — Itaque cum ex ipsis scholiis nihil, quo Weicherti opinio comprobetur, colligi possit, mihi quidem non commendanda illa videtur, eo minus, quod Porphyrionem, si Acronem praecipue significare voluisset, etiam nomen illius additurum fuisse maxime verisimile est. Itaque etiam in hoc, quod tractamus, scholio rerum ille consensus non sic, ut Porphyrionem ex Acrone hausisse statuamus, sed ex fontibus potius communibus, qui „de personis Horatianis" scripti fuerint, explicandus est; atque, quamquam uterque scholiasta ipsius poetae verbis recte intellectis repugnat, potuit tamen fieri, ut uterque tantam fontibus suis auctoritatem tribueret, ut, quamquam ex iis Horatii verba ratione nimis arcessita explicanda erant, tamen eos potissimum sequeretur. — Verborum autem, quam superius notavi, similitudo duorum locorum discrepantia dirimitur; apud „Acronem" enim legimus: Huius (sc. Nomentani) cocum, Damam nomine, Sallustius Crispus centenis milibus aeris conductum habuit", apud Porphyrionem: Huius libertum, Damam nomine, Caius Sallustius Crispus historiarum scriptor fertur centenis milibus annuis conductum habuisse; qua discrepantia illud, „Acronis" scholion ex Porphyrione fluxisse, quod iam supra minime necessarium esse dixi, prorsus refellitur, cum serius Porphyrionis scholion illo modo mutatum esse omni verisimilitudine careat.

Quas ob res, cum dictio minime abhorreat, ipsi Acroni hoc scholion tribuendum puto, atque ea, quae cum Porphy-

sione consentiunt, verba aut ex fonte communi aut, si re vera Porphyrion Acronis commentario usus est (cf. p. 16. 17), ex hoc ab illo sumpta esse censeo.

Ad alteram secundi scholii partem quod attinet, „Nomentanum“ nomen proprium esse ex eo, quod et apud Porphyrionem et in prima huius scholii parte ad „Cassius“ nullum aliud nisi „Nomentani“ nomen positum est, apparet, cum gentile illud esse „de Nomentana civitate“ ex ipso nomine coniectum esse eluceat; quas ob res et propterea, quod „Naevius“ plane neglegitur, haec explicatio serius orta esse videtur.

Ad v. 109 Porphyrion scribit:

> Illuc, unde abii, redeo. Nemon' ut av. s. p. a. p. Ad sermonis sui sensum, quem inchoaverat, recurrit, cum coeperit dicere, nullum hominem statu rerum suarum gaudere et laudare diversa; a quibus dissentire tamen avarum ait, qui proposito suo gaudeat solus. Haec autem admiratio pronuntiantis non ad illud pertinet, quod avarus se probet, sed quod nemo alius.

Haec explicatio mira illa quidem est ac toti satirae sententiarum connexui prorsus repugnat; sed tamen non modo nullam, cur eam spuriam existimemus, causam habemus, sed etiam, quomodo scholiasta ad eam pervenerit, videre licet; illud enim, quod iam ille, ut nos in plurimis ac praestantissimis codicibus, legebat, „nemon' ut avarus“, admirationem solum rei enuntiatae, id quod Heindorfius in huius loci explicatione dicit, exprimere non potest; nam et per se „ne ut“ dubitationem potius veritatis illius, quae sequitur, sententiae continet et semper, quantum scio, eo sensu usurpatur, ut a Plauto in Aulul. 4, 7, 9: Egone ut te advorsum mentiar, mater mea?“ a Terentio in Andr. I, 5, 28: Eine ego ut advorser?“ a Cicerone in Brut. 50: Nemone ut Philippum, tam suavem oratorem,

tam gravem his anteferret etc.;" sic autem si hoc loco „ne ut" explicamus, sententia ei, quam postulamus, plane contraria efficitur. Ob hanc rem ad illam suam explicationem Porphyrion quasi confugisse mihi videtur, quamquam etiam hanc a verborum sensu abhorrere fateor, cum „ne," solum positum, dubitationem habere equidem nullis scriptorum locis comprobatum videam; atque omnino „ne ut" per corruptionem iam ante Porphyrionis aetatem in hunc Horatii locum inrepsisse atque ex Blandinio antiquissimo cum Hauptio (edit. Hor. 1871) „qui nemo ut" ponendum puto; quod argumentis probare ad hunc locum non pertinet.

Ad eundem locum „Acron" haec praebet:

108. 109. illuc. u. a. r. Quia digressionem fecit, inducta fabula Umidii, transit modo ad propositum suum, ad danda praecepta; duplex sensus: aut quod omnes alienas condiciones laudant, suas vituperant, sed praecipue avarus, qui miserum dicit et egentem; aut quod caeteri quidem homines aliena studia adprobant, avarus vero in eo, quod avarus est, sibi placet.

Nemon' ut avarus Se probet. Quod nemo avarus se probet, nemo avarus sibi sufficiat, nec de se iudicet. Se probet. Probet se avarus, qui aliena cum gemitu miratur. se probet. Sibi[28]) placeat, se[28]) laudet. ac potius l. d. s. moderationem, temperantiam. Ad sermonis sui sensum, quem inchoaverat, recurrit, cum coeperit ante dicere, nullum hominem statu rerum suarum gaudere et laudare diversa, a quibus dissentire tamen avarum ait, qui solus proposito suo gaudet. Haec autem admiratio pronuntiantis non ad illud pertinet, quod avarus se non probet, sed nemo alius.

---

28) Haec quamquam γ omittit, tamen sine dubio genuina sunt.

Primi scholii exordio: Quia digressionem fecit . . . . ad danda praecepta" optime lemmatis verba explicantur, quam ob rem ex Acrone sumptum illud esse puto exceptis verbis postremis („ad danda praecepta"), quod in γ non, ut in ceteris codicibus, cum iis, quae antecedunt, per „i. e." coniuncta illa sunt; ea autem, quae sequuntur, non solum eo, quod ad Horatii verba posteriora potius („nemon' ut avarus . . . . diversa sequentis") pertinent, quorum ne ullum quidem in lemmate positum est, valde suspiciosa sunt, sed etiam in ipsa explicatione verba „ne ut, omnium illa difficillima, plane negleguntur; coniunctio enim „quod" nihil aliud hic nisi explicationis exordium significat, id quod et ipsum ab omni linguae latinae consuetudine abhorret; accedit, quod in γ ea verba, per quae in ceteris codicibus cum explicatione antecedenti coniuncta illa sunt, „Et est", non leguntur; neque minus iis, quibus verba „ut avarus" explicantur, rationibus offendimur, cum prior („sed praecipue avarus") nimis libera atque arcessita sit, altera cum Porphyrionis mira illa explicatione consentiat atque inde petita esse videatur; quas quatuor ob causas hanc scholii partem pro serius facta secernam.

Secundi scholii pars prima sic quidem, ut legitur, explicationem minime bonam exhibet; sed facillime puto pro „Quod" „Quomodo" scribi, cum huius vocabuli „compendium" „quo" proxime ad formam „quod" accedat; quod si scripserimus et explicationem „nec de se iudicet," quae quidem ab altera („sibi sufficiat") prorsus abhorret, amoverimus, explicatio per se admodum bona atque eadem fere atque Heindorfii efficietur; quae etsi probanda non est, tamen pro loci difficultate Acrone non indignam illam puto. — Ea, quae ad „Se probet" posita sunt, et verba „Nemon' ut" neglegenter omittunt et omnino nihil ad explicationem proficiunt, cum, quae cafh praebent (ca: Probat

esse avarum," fh: probat se esse avarum") et per se minime probanda et propter minimam illarum editionum auctoritatem serius orta esse putanda sint. — Item, quod sequitur, scholion plane supervacaneum est.

Scholion extremum excepto exordio („moderationem, temperantiam"), quod admodum inepte verbum „diversa" explicat, totum ad Porphyrionis explicationem levissime mutatam referendum est.

Ad v. 120 „Acron" habet:

> Crispini. Philosophi cuiusdam loquacissimi, qui ἀρετάλογος dictus est. Hic Crispinus poeta fuit, qui sectam Stoicam versibus scripsit. Sufficit ergo, inquit, me de avaris dixisse, hoc est, Stoice locutum esse; nam Stoici de divitiis maxime disserunt. Id est, ne me quidam putet de libris Crispini, quae dico, subripuisse. scrinia. Capsae, in quibus libri continentur.

Primum scholion („Philosophus . . . . dictus est") mire ad Porphyrionis scholion spectat, quod sic legitur:

> Plotius Crispinus philosophiae studiosus fuit. Idem et carmina scripsit, sed tam garrule, ut aretalogus diceretur;

quam ob rem ex hoc fonte illud fluxisse puto. — Secundum scholion („Hic Crispinus . . . . scripsit"), quod non tam facile ex Porphyrione ortum esse potest atque, etsi loquacitatis significationem desideramus, tamen optime se habet, ipsi Acroni adsignare velim. — Quae sequuntur („Sufficit ergo . . . . . . disserunt"), tam inepta sunt, ut sine ulla dubitatione Horatii lectori minime erudito tribuenda sint. Etiam verba „Id est . . . . . subripuisse", ad quae nullum lemmatis verbum spectat, serius in margine addita esse videntur. — Explicationem denique verbi „Scrinia", ut veram, vere Acronianam equidem existimo.

Sat. 2.

Ad v. 3 apud „Acronem“ legimus:

cantoris morte Tigelli. Mutato nomine per invidiam cantorem pro musico obtrectatorie dicit. Fuit autem modulator optimus in Sardinia natus. Is carmina Horatii negabat satis perite modulata, et idcirco carpitur ab illo. Ideo autem dixit cantoris, quia dicebatur in poematibus suis placere voce, non carminum probitate. Tigelli. M. Tigellius Hermogenes musicae peritissimus et vocis eximiae, C. Caesari dictatori et post Cleopatrae acceptissimus, Augusto quoque Caesari amicissimus. Erat autem largitor adeo, ut scenicis et circulatoribus multa donaret.

Secundum scholion, quod lemma „Tigelli“ habet, et propter totam speciem suam atque ordinem et propter verborum, quae in fine posita sunt, formam maximam suspicionem movet, ut ex Porphyrione excerptum illud esse iudicemus; hic enim scribit:

1. 2. Amb. coll. pharmacopolae. Marcus Tigellius Hermogenes musicae artis scientia praeditus C. Caesari dictatori fuit familiaris, postea Cleopatrae, quia dulciter cantabat et iocabatur urbane. Augusto quoque ita placuit, ut inter familiares domesticos haberetur. Erat autem largitor adeo, ut omnibus musicis et circulatoribus multa donaret, et ideo morte eius tristes illos ait factos esse. Porro autem causam insectandi hominis non mediocris ingenii habuit Horatius, quod carmina eius parum scite modulata esse dicebat.

Quae suspicio pro certa habenda est, si primum scholion ipsi Acroni tribuimus, id quod equidem facio, cum excepto fine („Ideo . . . . . . probitate“) optime

se habere videatur; primum enim quamquam non verisimile est Horatium „cantoris" significationem cum consilio atque obtrectatione posuisse, tamen sententia ea non prorsus damnanda est; ceterum verbum „obtrectatorie", quod et, cum „per invidiam" antecedat, plane supervacaneum et minime latinum est, equidem delendum puto; deinde etsi Horatii carmina a Tigellio vituperata esse comprobare nolumus atque ex ea ipsa re, quod Tigellius ab Horatio carpatur, temere conclusum illud esse iudicamus, nihil tamen obstat, quin ipsum Acronem hoc conclusisse statuamus, cum etiam alibi et ille et Porphyrion similes coniecturas fecerint, ut ad huius satirae v. 46 et ad v. 134, de quibus locis infra dicetur. Sane finis scholii („Ideo . . . . . . probitate"), quod Tigellius, quasi ipse poeta fuerit, proponitur, id quod priori scholio repugnat, sine dubio postea demum illatus est.

Ad v. 25. Porphyrion habet:

> Malchinus t. d. Sub Malthini nomine Quidam Maecenatem suspicantur significari; ab re tamen nomen finxit; maltha enim *μαλακός* dicitur. Porro autem tunicis demissis ambulare eorum est, qui se molles ac delicatos velint haberi.

Secundum Hauthalium et Kelleri editionis Horatianae apparatum criticum omnes codices Porphyrionis excepto R. (Hauth.), ubi „Malchinus" legitur, „Malthinus" exhibent, ut dubitandum non sit, quin ipse Porphyrion „Malthinus" legerit. Itaque locus ille: ab re tamen nomen finxit; maltha enim *μαλακός* dicitur" sic intellegendus est, ut a verbo latino „maltha" nomen proprium „Malthinus" derivetur atque „*μαλακός*" pro subiecto, „maltha" pro praedicato positum sit; neque enim, quod verbo graeco ad explicandum latinum Porphyrion usus est, ullam admirationem habet, cum saepe verba graeca ad explicanda latina usurpaverit atque etiam mediis in scholiis pro latinis ea

posuerit; conferantur scholia ad epist. I, 6, 66; art. poet. 103. 42; carm. I, 16, 17; epist. II, 1, 128; qua de re largius Kellerus in „Symbolis philologorum Bonnensium" l. c. disseruit.

Ad eundem versum „Acron" habet:

> Malchinus t. d. a. Tunicis demissis, ut sibi honestus videatur; composuit nomen, quasi *Μαλακός*, Malchinus. Maecenatem tangit; varicosus enim fuit quidam, delicatior et solutus.

Secundum Hauthalium omnes codices „Acronis" et manuscripti et typis impressi „Malchinus" habere videntur, nisi quod Gfha „Malthinus" habent. Sed admodum mirum hoc mihi quidem est, quod apud Porphyrionem „Malthinus" legitur; videamus igitur, quam formam explicatio sequi videatur. In qua quod primum legimus („Tunicis . . . . . videatur"), eo, quod prorsus ab omni morum Romanorum intellegentia abhorret, serius factum esse probatur; quod sequitur, sane, si genuinum illud quidem est, formam „Malchinus" probat; sed adeo breviter atque ineleganter dictum est, ut et ipsum tempori posteriori tribuendum atque ex Porphyrione male intellecto, quasi non „maltha", sed „μαλακός" pro praedicato atque radice nominis proprii posuisset, ortum esse putem; ex quo cum facile etiam in lemmate „Malthinus" in „Malchinus" mutari potuisse appareat, illa forma mihi quidem genuina esse videtur; secundum enim scholion („Maecenatem . . . . . . solutus"), quod admodum bonum atque mea quidem sententia ipsius Acronis iudicandum est, utramque formam admittit. In ipso autem hoc scholio verba „delicatior et solutus", quamquam dura quadam ratione adiuncta sunt, tamen retinenda puto, atque inter „quidam" et „delicatior" minorem interpunctionem posui, ita ut „delicatior et solutus" causam, ex qua varicosus fuerit Maecenas, significet.

V. 36. Porphyrion sic explicat:

nolim laudarier, inquit. Caius Cupiennius Libo, Cumanus, Augusti familiaritate clarus, corporis sui diligentissimus fuit, sectator matronarum concubitus. Albi autem non pro candido videtur mihi dixisse, cum utique possint et vulgares mulieres etiam meretrices candidae esse, sed ad vestem albam, qua matronae maxime utuntur, puto relatum esse.

Eundem versum „Acron" sic explicat: sic me mir. cun. Cupiennius albi. Cupiennius quidam amator matronarum ait: hoc me laudari nolo. Hic familiaritate Augusti clarus fuit, corporis sui diligens et sectator matronarum. Albi autem matronalis dicitur [29]).

„Acronis" scholii secunda pars, quae a verbis „Hic familiaritate" incipit, ad Porphyrionem spectat nam primum singula verba aptissime illi respondent; deinde quod ad extrema („Albi autem matronalis") attinet, equidem non cum Hauthalio magnam lacunam statuo, sed excerpta potius ex Porphyrionis explicatione illa existimo; quae res si ita se habet, verbum „matronalis" ad Horatii „cunni" relatum pro „eius, qui inter matronas est," usurpatum est, quod nihil offensionis habet. Accedit, quod prior pars scholii: Cupiennius . . . . nolo", cum per verba „amator matronarum" poetae „mirator cunni albi" explicetur, optime se habet et ipsius Acronis esse videtur; atqui ille, cum per significationem „Cupiennius quidam" nihil amplius se de persona illius dicere velle indicaret, non de ipsa hac aliqua addere poterat.

---

29) Hoc γ om.

Ad v. 46 Porphyrion exhibet:

Jure omnes, Galba neg. . . . .
Amare autem Servium Galbam iuris consultum perstrinxit, quasi contra manifestum ius pro adulteris responderet, quia ipse adulter esset.

Ad eundem versum „Acron" hoc praebet:

Galba n. Galba iuris peritus et ipse matronarum sectator, qui dicebat non iure factum, ut testes amputarentur, quia primi adulterii paena pecuniaria erat.

Nihil causae est, cur, hominem iuris peritum atque libidinosum Galbae nomine Horatii temporibus fuisse atque eum potissimum hoc loco a poeta carpi, non ex bonis fontibus haustum esse putemus; itaque non dubito, quin haec scholia genuina sint atque alterum ipsi Acroni tribuendum sit; nam, quod traditur: qui dicebat non jure factum, ut testes amputarentur, quia primi adulterii paena pecuniaria erat" sane ex ipsius Horatii verbis conclusum illud esse videtur; sed ea conferas velim, quae supra (p. 38) de hac re dixi.

Ad v. 62 Porphyrion habet:

quid inter — Est i. m. a. peccesve togata. Negat interesse quicquam, utrum quis in matrona an in ancilla an etiam in adultera delinquat, secutus opinionem Stoicorum, qui omnia peccata paria esse dicunt. Nec enim rei admissae quantitatem sed admittentis voluntatem spectant. Togatae autem in publicum procedere cogebantur feminae adulterii admissi convictae.

Ad eundem versum „Acron" scribit:

quid interest in matrona, ancilla, peccesve togata. Negat interesse quicquam, utrum quis in matrona an in ancilla an etiam in adultera delinquat, secutus opinionem Stoicorum, qui omnia

peccata paria esse dicunt; neque enim rei admissae quantitatem sed admittentis voluntatem spectant. peccesve togata: Matronae, quae ob adulterium a maritis repudiabantur, togam accipiebant sublata stola propter ignominiam; toga autem meretrici apta; ita enim prostare solebant cum togis pullis, ut discernerentur a matronis; et ideo, quae adulterii damnatae fuerant, hac veste utebantur. Aliter: togatae dicebantur in publicum procedere feminae adulterii admissi causa. Alii togatam dicunt libertinam, quia antea libertinae toga utebantur, stola vero matronae.

Primum eorum, quae „Acroni" dantur, scholiorum ad verbum ex Porphyrione sumptum esse apparet. Ad eundem sine dubio etiam tertium (Aliter: togatae . . . . . adulterii admissi causa") referendum est; nam, quod pro Porphyrionis „convictae" „causa" occurrit, saepissime similia discrimina in iis quae ad illum spectant, scholiis reperiuntur, atque, quod pro „cogebantur" mire „dicebantur" positum est, postquam translatum erat, ab homine, qui connexum atque sententiam verborum non intellegeret, mutatum illud esse potest.

Restant igitur scholion secundum et quartum; quorum hoc ea de causa ab Acrone abiudicandum puto, quod etiam illius tempore, ineunte saeculo tertio, togam libertinarum vestem fuisse admodum probabile est; illud autem, quamquam Horatii „togata" cum „ancilla" potius coniungendum, quam ab illo separandum, erat atque falso per „adultera", quam iam „matrona" significat, explicatur, tamen, quod res ad cognoscendum utilissimas atque ex antiquitatis doctrina notas continet, ipso Acrone satis dignum videtur.

Ad vv. 64—66 Porphyrion haec habet:

Villius in Fausta Syllae g. h. m. u. Nomine dec. paen. dedit. Villius pro Annio

dixit. Annius autem Milo maritus fuit Faustae, Cornelii Syllae filiae, qui a familia Longareni, adulteri uxoris suae, rediens a caena ante aedes suas, ne adulterum deprehenderet, pugnis caesus est et ferro perterritus; quem ait nulla alia re in hanc iniuriam ac contumeliam recidisse, quam quod magnae nobilitatis uxorem habere adfectaverit.

Ad eosdem versus „Acron“ haec praebet:

Villius in F. Pro eo, quod est in matrimonio Faustae. Nomina semper incerta pro certis. Nam Fausta Syllae filia Tito Annio Miloni nupta fuit, ut supra exposui. Alibi (C. II, 12, 13): me dulcis dominae musa Licymniae“ pro „Terentiae“ et (S. I, 2, 25): Malchinus tunicis demissis ambulat“ pro „Maecenas“. Et hic: Villius in Fausta, i. e. Annius in Fausta. Eodem numero syllabarum commutationem nominum facit.

Syllae gener. Non vere gener, sed quia Syllae filiam stupravit ita frequenter, ut ipse esse videretur; nam Longarenum habuit maritum. Villius. pro Annius Milo.

hoc miser uno Nomine deceptus. Quoniam nobilis filiam adfectavit uxorem, vel hac re, quod dicebatur matronas adpetere. Deceptus, quia amator decipitur nobilitate dilectae, qui putat se hoc minus peccare, quod nobilem stupret. Vel: deceptus, quod filia Syllae esset hominis potentis et clari, sperans talis viri filiam castam fore victuram nec unquam peccare posse. Fausta dicebatur filia Syllae. Hanc cum Villius impetrasset uxorem, forte Longarenus adulter domi eiusdem puellae erat; ita Villius conlisus est plagis, et nihilominus eam postea tenuit apud se propter nobilitatem. Annius Milo maritus fuit Faustae, Cornelii Syllae

filiae. Qui rediens a caena, scilicet a famula Longareni, adulteri uxoris suae, ante aedes suas, ne adulterium deprehenderet, pugnis caesus est et ferro petitus.

Primum quod ad Porphyrionem attinet, sane prorsus falso Horatii verba intellegit; nam poetam, cum in ipso versu antecedenti: „quid inter — est in matrona, ancilla peccesve togata" dicat, ex toto sententiarum connexu, ut ex v. 57: „nil fuerit mi" inquit „cum uxoribus unquam alienis", usum uxorum alienarum significare apparet; quam ob rem, Villium cum in Fausta, femina nobili, peccantem atque poenas solventem facit, nullo modo pro exemplo eorum illum affert, qui „in iniurias ac contumelias reciderint, quod magnae nobilitatis uxorem habere adfectaverint, sed pro adultero potius eum ponit. Nihilominus tamen error ille Porphyrioni ignoscendus est, quod totus ex eo manavit, quod verba „in Fausta Sullae gener," quae quidem ironia quadam dicta esse non tam facile apparet, proprio sensu intellegabat; primo quidem aspectu, quod tam accurate rem exprimit, cum dicit: a familia Longareni . . . . . rediens a caena . . . . . . pugnis caesus est . . . . ," speciem veri praebere potest; sed hanc rei definitionem facile sibi fingere poterat.

Deinde „Acronis" scholiorum primum eodem modo atque Porphyrion Villii nomen pro „Annio" (Milone) positum facit; sed tamen ipsum Acronem auctorem esse primum eo declaratur, quod de Fausta, ut Sullae filia atque Tito Annio Miloni nupta, ad id, quod „supra exposuerit," revocamur; hoc enim ad v. 41 explicationem [30]) referendum esse apparet, ubi legitur:

30) Hoc enim scholion, quamquam non expresse, per totam tamen sententiam Milonem pro Faustae marito significat.

ille flag. a. m. c. Hoc de Sallustio videtur dicere; Sallustius enim Crispus in Faustae filiae Syllae adulterio deprehensus ab Annio Milone flagellis caesus esse dicitur; quem . . . . . . ;

atqui ipsi Acroni hoc scholion tribuere plane nulla causa prohibemur; deinde, quae de hac re, qua ratione nomina incerta ab Horatio pro certis usurpentur, exposita sunt, admodum bona atque Acrone dignissima esse negare non possumus. — Secundum scholion (Syllae gener. Non vere etc.) explicationem ei, quae in primo data est, prorsus contrariam habet, quam ob rem ab ipso Acrone plane abhorret atque sine dubio serius demum illatum est. Eandem explicationem verbis paulum mutatam „Commentarius Cruquianus" praebet, in quo mire etiam primum scholion secundum illam conformatum est; haec enim duo scholia exhibet:

Villius in Fausta. Fausta Syllae filia Tit. Annio Miloni nupta est, quem hic Longarenum nominat mutato nomine, ut alibi, me dulcis dominae musa Lycymniae, pro Terentiae et Malthinus tunicis demissis ambulat, pro Maecenas.

Syllae gener. non vere gener, sed quia Syllae filiam stupravit, ita frequenter, ut gener vulgo haberetur; nam ea Milonem, Longarenum dictum, habuit maritum.

Quod sequitur (Villius. Pro „Annius Milo"), in γ solum legitur et supervacaneum est. Jam quartum scholion duas inter se contrarias explicationes continet, quarum prior non apte ipsis lemmatis verbis respondet atque per verbum „adfectavit" mire cum Porphyrionis scholii, quod quidem ejusdem sententiae est, fine consentit; ibi enim legitur: quod magnae nobilitatis uxorem habere adfectaverit"; quam ob rem illinc hanc explicationem („Quoniam . . . . . . uxorem") petitam esse

pro certo haberi potest; alteram eo, quod non ad primum scholion illud vere Acronianum, sed ad secundum potius quadrat, serius additam esse probatur. — Quam eandem ob causam quintum scholion („Deceptus, quia . . . . stupret“) secernendum est. — Sextum autem, quod eam, quam per primum illud scholion solam Acron sequi poterat, explicationem continet, certissima cum ratione illi tribuendum est. — Id, quod sequitur, et ex eo, quod ad totum locum Horatianum, non ad lemma solum pertinet, hic minime quadrat et, etiam si id ferendum esse putemus, nullo modo cum scholio antecedenti coniunctum est; accedit, quod prima verba („Fausta dicebatur filia Syllae“), quibuscum cetera coniuncta sunt atque cohaerent, propter primi illius scholii „Nam Fausta Syllae filia . . . “ supervacanea sunt; quas ob causas hoc scholion serius factum esse existimandum est. — Extremum scholion quia ad verbum fere partem Porphyrionis scholii („Annius autem Milo . . . . . . ferro perterritus“) repetit, sine dubio ex illo sumptum est; itaque „famula“ (γ) ex „familia“ (Porphyrion et ceteri „Acronis“ codices) per errorem factum esse apparet, praesertim cum illa forma, quantum equidem video, nullum, qui tolerari possit, sensum exhibeat; Hauthalius igitur qua ratione adductus „famula“ retinuerit atque „familia“ ex scholio sequenti (exclusus fore a familia Longareni moechi“) ortum esse putet, non intellego; atque etiam minus, quid interpunctio illa, quam post „famula“ posuit, sibi velit, video; recte autem vir ille doctus ex codice γ „scilicet“ ante verba „a familia . . . . . “ (ceteri codd. om.) posuisse mihi videtur; in ceteris quod „scilicet“ deest, aut ex eo explicandum est, quod „scilicet“ per signum expressum evanuerit, aut ex eo, quod aliquis, qui constructionem verborum non intellegeret, „scilicet“ deleverit.

Ad v. 67. „Acron" habet:

exclusus fore. a familia Longareni moechi. Et notandum fores numero singulari: Ter. in Adelphis (II, 3, 11): Quidnam (con)crepuit fores? Item Cicero pro Cornelio (Cic. pro C. Cornelio I fragm. 44 Or.): Aperuit forem scalarum," sed ex verbis accusatoris ridentur, ut in Flacciana (Cic. pro Flacco 2. Baiter. Schol. Bobiens. p. 230 Or.): strangulavit.

Hoc scholion ipsius Acronis esse admodum verisimile est; explicatio enim „A familia Longareni moechi" ad illius, quae antecedunt, scholia optime quadrat, ac, ne quis in verbis „a familia Longareni," quae eadem apud Porphyrionem reperiantur, haereat, unusquisque eos, qui Villium excluserint, servos intelleget, qui saepissime verbo „familia" significantur.

Ad v. 134. Porphyrion habet:

Deprendi miserum est: Fabio vel iudice vincam. Satis urbane: Si inquit, Fabius pro adultero iudicaturus iudex in hanc rem constituatur, qui harum rerum sit et ipse sectator, malum esse deprehendi censebit.

Hoc scholion difficillimum est eo, quod plane diverse in codicibus legitur. M, quantum equidem ex Hauthalii commentario, qui quidem hic, ut saepe, non satis accuratus est, cognosco, hoc praebet:

Satis urbane significat fabio pro adultero iudicaturo iudex in hanc rem constituatur, qui harum rerum sit et ipse sectator.

2. hoc exhibet:

Satis urbane significat fabium pro adultero iudicaturum si iudex in hanc rem constituatur, qui harum rerum sit ipse sectator.

Omnes codices reliqui id, quod supra positum est, habere videntur, nisi quod RG verba extrema („malum esse deprehendi censebit") omittunt; „et ipse" ab optimis codicibus MRA traditur.

Primum igitur codicis M, omnium optimi, scripturam si spectamus, multa corrupta esse apparet; nam primum formae „Fabio-indicaturo" ad verbum „significat" minime quadrant; deinde „iudicaturo" eo, quod iuxta formam „iudex" de eodem Fabio usurpatum est, maximam suspicionem movet, atque haec omnia: iudex in hanc rem constituatur" ad nihil referri possunt. — Deinde ad codicem 2. quod pertinet, illius scholion sic quidem, ut legitur, rationi grammaticae non repugnat; sed propter recentiorem huius codicis aetatem dubitandum non est, quin formae „Fabium — indicaturum" pro „Fabio — indicaturo" (M) serius factae sint, praesertim cum „pro adultero iudicaturum" quid sibi velit, plane intellegi non possit; per se enim illud aut „loco adulteri iudicaturum" aut „iudicaturum, ut adulter de tali re iudicat" aut „adulterum defensurum" significat; atqui duae priores sententiae prorsus hic languidae sunt, tertia a toto loci Horatiani connexu abhorret. — Item scholii, quae in reliquis codicibus est, forma, quamquam legibus grammaticis non repugnat, tamen propter verba „pro adultero iudicaturus," quae, quemcumque sensum illis tribuis, iuxta haec, quae sequuntur: qui harum rerum sit et ipse sectator," tolerari non possunt, corruptum esse videtur; atque per totam speciem suam emendatione grammatica atque coniectura ex forma codicis M facta esse videtur. — Quam conditionem scholiorum facillime sic puto explicari, ut verba „Fabio. pro adultero iudicaturo (M)[31])

31) „Fabio" ex Horatio est; quod additum est, hoc significat: „ponit eum pro adultero quolibet, qui de re, quam proposuerit, iudicaturus sit."

primo in margine posita atque inde per errorem in scholion illata esse statuamus, ita ut hoc genuinum exsistat:

> Satis urbane significat: Si iudex in hanc rem constituatur, qui harum rerum sit et ipse sectator";

tum enim in codice M nihil aliud mutatum est, nisi ut coniunctio „si" omitteretur, id quod „glossa" illa translata facillime fieri potuisse apparet; de ceteris autem, quorum scripturam ex codice M manasse supra demonstratum est, nihil iam est dicendum; extrema tamen scholii verba, quae in A atque in editionibus, ut ex Hauthalii quidem commentario videtur, leguntur, („malum esse deprehendi censebit"), utrum ex fonte antiquo atque codici M comparando orta an serius addita sint, quod codicum ratio adhuc non satis exposita est, diiudicare non licet; necessarium quidem non est verbum „vincam," ut facile intellectu, a Porphyrione explicatum esse.

Ad eundem versum apud „Acronem" legimus:

> Fabio vel iud. vincam. Fabio. Moecho. Satis urbane significat, Fabium pro adulterio iudicaturum, si iudex in hanc rem constituatur, qui harum rerum et ipse sectator sit, tamen miserum esse deprehendi. Probe; nam si istum, qui est adulter, interrogem de qualitate adulterii, respondebit malum esse et probare poterit, quod non expedit adulterari. Suspicari debemus hunc adulterorum fautorem esse potuisse.

Horum scholiorum primum („Satis urbane . . . . deprehendi") ex Porphyrionis scholio corrupto natum esse nemo est quin statim videat; „adulterio" enim sine dubio serius inepte pro „adultero" positum est, quod, illam formam si retinemus, verba „tamen miserum esse deprehendi" nullum verbum habent, ex quo pendeant; atque nihil aliud de illo scholio factum est nisi, ut iustae constructionis grammaticae causa mutaretur atque verbis „pro adultero" eo sensu, quo solum aliquo modo probari possunt,

(sc. „loco adulteri") intellectis ad verbum „iudicaturum" „tamen miserum esse deprehendi," id quod ex Horatio statim offerebatur, pro ipso indicio in fine adderetur. — Alterum scholion non satis causae est, cur ab ipso Acrone abiudicemus; nam, quod adulter fuisse Fabius traditur, id quod falsum esse infra demonstrabo, idem etiam Porphyrion tradit; extremis autem verbis, coniunctio „vel," quae in priore parte neglecta est, cur ab Horatio posita sit, per coniecturam explicatur; id denique, quod „esse potuisse" coniunctum est, non ita multum offensionis habet, cum, ut nostra lingua dicam, hoc significet: dass er dazu im Stande gewesen ist, ein Begünstiger von Ehebrechern zu sein."

Jam de sententia scholiorum et Porphyrionis et Acronis aliquid dicendum est. Recte enim Hauptius (Mus. Rhen. N. S. III, 147. 48) dicit, si Fabius ab Horatio pro adultero dictus esse intellegeretur, et totam sententiam verborum „Fabio vel iudice vincam" nimis languidam futuram et coniunctionem „vel" artificiosa quadam ratione explicandam esse; iam, quod propriam Acronis coniunctionis illius explicationem vir ille doctus non affert, non multum a Porphyrione illa distat atque easdem difficultates habet. Jure igitur existimo Hauptium, quod scholiastae tradiderunt, refutare atque „Fabium" eundem atque Stoicum illum loquacissimum statuere, qui ab Horatio in primae satirae v. 14 („cetera de genere hoc — loquacem — delassare valent Fabium") carptus sit. Sed facile ignoscemus scholiastis, quod, cum pro auctore eius rei, quam miserum adulteris esset deprehendi, Horatius Fabium potissimum afferat, ipsum pro adultero ab eo notatum esse concluserunt. Nimis autem acute, ut mihi quidem videtur, Hauptius Porphyrionis „si iudex in hanc rem constituatur," sic intellegit, quasi ille de Fabio, ut de vero iudice, cogitaverit; nihil enim obstat, quin ut rhetorico

quodam modo dicta illa explicemus, praesertim cum saepius talia apud Porphyrionem occurrant.

Sat. 3.

Ad v. 21. Porphyrion scribit:

Maenius abs. Novium cum carp. Qui de personis Horatianis scripserunt, aiunt, Maenium et scurrilitate et nepotatu notissimum Romae fuisse. Hic post patrimonium adrosum Kalendis Januariis in Capitolio clara voce optavit, ut quadringenta milia numorum aeris alieni haberet. Quaerente quodam, quid sibi vellet, quod tam sollemni die aes alienum habere optaret: Noli mirari, inquit, octingenta debeo. Hic fertur, domo sua, quam ad forum spectantem habuerat, divendita, unam columnam sibi excepisse, unde gladiatores spectaret, quae ex eo Maenii columna nominabatur. Cuius et Lucilius sic meminit (fragm. ex inc. libr. 104 Gerl.): Maenius columnam cum peteret.

Ad hoc scholion quod attinet, primum ex eo, quod Horatius et Lucilius aetate multum distant, illum eundem, qui ab hoc carpatur, Maenium perstringere nequaquam credendum est; deinde, etsi, id quod tamen dubium est, ex bonis atque certis fontibus illud, quod Porphyrion de Maenio suo refert, fluxisse putamus, eo certe errare ille videtur, quod illam, quae a scurra illo exstructa sit, „Maenii columnam“ nominari dicit; nam nobis quidem nulla alia, quae eo nomine feratur, columna nota est, nisi ea, quae antiquissimo iam tempore aedificata esse a compluribus auctoribus memoratur; quam ob rem notam illam cum sua scholiastam confudisse verisimile est.

Ad eundem versum apud „Acronem“ traditur:

Maenius abs. Nov. cum carp. Maenius cum de Novio male loqueretur, ait illi alter: Dic

mihi tu: nescis te? Hic est Maenius, qui, venditis rebus omnibus, unam sibi columnam reservavit in Foro, unde gladiatores spectaret, quae Maenia dicebatur.

Alteram huius scholii partem („Hic est Maenius ..... dicebatur") neglegenter ex Porphyrione excerptam esse satis elucet; etsi enim ipse Acron eandem rem ex eodem fonte atque Porphyrion haurire potuit, forma tamen et compositio scholii illum auctorem putare nos prohibet. Primum enim, quod dicitur: „unam sibi columnam reservavit in Foro," cum verbo „reservavit" iam antea Maenium locum columnae possedisse contineatur, alterutrum, aut omnes Maenii res aut columnae solum locum in Foro tum situm fuisse, auctorem scholii intellexisse necesse est; atqui hoc alterum statuere absurdum erat, alterum si statuebat, iam ad „venditis rebus omnibus" Fori significationem addere debebat. Deinde verba „quae Maenia dicebatur," hac, qua tradita sunt, forma, iam ante Maenii huius aetatem columnae illi ab alio Maenio nomen datum fuisse, significant, quamquam auctor scholii sine dubio ab hoc ipso Maenio nominatam illam esse dicere volebat; sed ad hoc exprimendum „ab eo" addere necesse erat. Qui duo errores ut a prudenti grammatico abhorrent, ita facile eo explicari possunt, quod serius aliquis neglegenter Porphyrionis scholion transtulerit, in quo quidem et Fori significatio apte ad „domo sua" (sc. Maenii) posita est atque columnae locus pro parte domus nominatur, et in fine recte „ex eo" additum est; iam, quod apud „Acronem" „venditis rebus omnibus," apud Porphyrionem „domo sua .... divendita" legitur, facile illud ex hoc concludi poterat. Item priorem scholii partem, quod nihil proficit, nisi ut Horatii verba per alia reddat, serius factam esse apparet.

Itaque ad hunc locum nihil iam exstat, quod ab ipso Acrone profectum esse videatur; et ne illud quidem, scrip-

sisse hic illum aliquid, ulla causa verisimili probari potest; ex eo enim, quod Porphyrion, ut videtur, secundum eos, „qui de personis Horatianis scripserunt", Maenium in Lucilii aetatem transfert, effici videtur illis, „qui de personis Horatianis scripserunt", nullum, qui ipsius Horatii aetate nobilis fuisset, Maenium notum fuisse; quod si ita est, ne Acronem quidem talem invenisse admodum probabile est. Ad vv. 31. 32. apud „Acronem" legimus:

Rusticius t. t. defluat. Rusticius, imperitius. Comparativum est; adverbialiter. Quidam dicunt de Caesare hoc dictum esse, quia fluebat eius semper toga i. e. non erat[32]) bene composita, et inperito tonsore utebatur.

vv. 31. 32. Et male laxus In p. calc. haeret. Male laxus, Indecenter vel valde laxus, indecenter laxus; vel non male laxus, sed male haeret, pro non haeret, ut (A. IV, 8): male sana sororem. Hic dicitur pulsare Vergilium, qui indecori et corporis et habitus fuit.

In primo scholio explicatio illa adverbii „Rusticius," quod Gmva totam illam omittunt et verba posteriora rem nimis notam continent, sine dubio serius orta est. Illud autem, quod sequitur, non video, cur ab ipso Acrone abiudicandum sit; nam, quamquam in exordio „Quidam dicunt," quod plurimis „Acronis" locis maxime suspiciosum est, legitur, hic tamen nihil obstat, quin ipsum Acronem eam, quae hic proponitur, opinionem apud partem eorum, „qui de personis Horatianis scripserunt," invenisse putemus; ipsam enim hanc opinionem aliquo certe funda-

32) „semper" recte Hauthalius cum γ ut serius factum omittere mihi videtur, quia, illud si ponimus, verba „non erat semper bene composita" sententiam repugnantem ei, quae in verbis „fluebat eius semper toga" inest, exhibent.

mento niti Suetonii vita Augusti aliquo modo probatur; ex eo enim, quod illic (c. 73) legitur: togis neque restrictis neque fusis (sc. usus est)" non temere illud coniicias fortasse alios, quorum quidem opera ad nos non pervenerint, auctores tradidisse nimis Augusti togam fluxisse; atque, quod idem Suetonius (c. 79) scribit: omnis lenocinii neglegens et in capite comendo tam incuriosus, ut raptim compluribus tonsoribus operam daret, ac modo tonderet modo raderet barbam, eoque ipso tempore aut legeret aliquid aut etiam scriberet", etsi non ipsum illud „imperito tonsore illum usum esse" continet, tamen optime ad hoc quadrat. „Commentator" quidem „Cruquianus" pro „Caesare" in scholio „Vergilio" exhibet; sed, cum, ex quo fonte cuius aetatis atque auctoritatis id sumptum sit, nesciamus, nullius momenti est, atque fortasse ex loco Donatianae vitae Vergilii male intellecto manavit, eum dico, ubi (8 [19]) legitur: Corpore et statura fuit grandi, aquilo colore, facie rusticana ....

Ex secundo scholio ex verborum „male laxus" explicatione primum alterum „Indecenter laxus", quod propter prius „Indecenter (sc. laxus)" supervacaneum est, secernam; deinde etiam ipsum prius ex altero demum in margine addito ortum esse videtur, ita ut nihil nisi „valde laxus" genuinum atque ex ipsius Acronis commentario haustum existimem; illud enim, quod sequitur, („non male laxus, sed male haeret ....), cum „male" sine dubio ad „laxus", verbum proximum, referendum sit, illi minime tribuo. Neque tamen minus postrema („Hic dicitur pulsare Vergilium .....), cum et in γ (C) desint et a superiore illo, quod quidem ipsius Acronis esse videtur, scholio discrepent, serius demum profecta existimo; ad fontem autem quod attinet, ex eodem fonte atque illud „Vergilio" „Commentatoris Cruquiani" fluxisse illa vi-

dentur, atque ex eo fortasse Caesaris nomen Vergilii mutatum est, quod aliquis ipsum Caesarem ab Horatio pro homine rustico notatum esse probare non poterat.

Ad vv. 46. 47. apud „Acronem" exstat:

> ut abort. fu. ol. Sisyphus. Filius Antonii, nepos mariti Cleopatrae, Sisyphus pedalis fuit, quem Antonius dilexit. Hic solebat in scapha natare. Secundum Alios fuit intra bipedalem staturam, ingenii ignei. Antonius triumvir, frater Antonii, viri Cleopatrae, habuit filium prodigiosae brevitatis; istum Sisyphum appellavit, qui erat ardentissimi ingenii[33]).

Duo priora scholia, quamquam in γ (fh) solum leguntur, tamen et propter auctoritatem codicis γ et, ad primum quod attinet, propter indolem eius atque naturam maximae aetatis atque in ceteris codicibus temere omissa existimo. Singula igitur si inspicimus, secundum („Secundum Alios . . . . . . ignei") ad Porphyrionis scholion spectare atque referendum esse statim elucet; ibi enim legitur:

> Marci Antonii triumviri pumilio fuisse dicitur intra bipedalem staturam, ingenio tamen vivax.

Jam primum sic quidem, ut exstat, valde suspiciosum est; nam primum ad „Antonii", quod non notus ille triumvir atque maritus Cleopatrae, sed frater eius significatur, praenomen desideramus; deinde quod dicitur fratrem Antonii Sisyphum filium habuisse, ipsum hoc nomen auctorem refellit; neque minus illud „quem Antonius dilexit", de filio Antonii dictum, valde languidum est; sed tamen partim certe hoc scholion antiquum esse verbis „Hic solebat in scapha natare" probatur, quae ab homine aetatis posterioris profecta esse minime verisimile est; atque equidem

---

33) Ea, quae usque ad verba „ingenii ignei" pertinent, sic, ut hic posita sunt, secundum Hauthalium in γ solum exstare videntur, cum editiones fh breviora illa habeant.

non dubito, quin exordium („Filius Antonii, nepos mariti Cleopatrae") postea illatum sit; hoc enim si removerimus, reliqua nullam offensionem habent atque ex bono fonte fluxisse videntur; ipsum autem illud sic ortum esse puto, ut „Filius Antonii" ab aliquo, qui eo, quod toto, qui huc pertinet, loco de patribus atque filiis poeta diceret, deceptus etiam hic „filii" significationem desideraret, deinde „nepos mariti Cleopatrae" ab altero additum sit, qui, quod Antonii triumviri ac mariti Cleopatrae filius „Sisyphus" aliunde ignotus esset, illius fratrem[34]) potius hic significari putaret.

Tertium denique scholion per totam speciem suam posteriorem originem indicat, atque ex primi scholii forma illa corrupta ac falso quidem intellecta et ex Porphyrione sumptum illud esse apparet. — Itaque nihil praeter primum scholion restitutum genuinum esse iudico; atque hoc ipsum ad ipsius Acronis commentarium spectare mihi quidem pro certo est.

Ad. v. 82. Porphyrion scribit:

> Labeone i. i. s. d. Marcus Antistius Labeo praetorius iuris etiam peritus memor libertatis, in qua natus erat, multa contumaciter adversus Caesarem dixisse et fecisse dicitur, propter quod Horatius nunc adulans Augusto insanum eum dicit.

Ad eundem versum apud „Acronem" legitur:

> Labeone ins. i. s. d. 1. Labeo iuris peritus vituperabat leges Augusti Caesaris; hunc modo reprehendit Horatius in gratiam Caesaris. 2. Martius Antistius Labeo iuris peritus memoratae libertatis; nam in Augustum libere invectus est; ideo etiam eum nunc poeta male tractat, ut gratificetur Augusto.

---

34) „Nepos" enim pro „fratris filius" usurpatum videtur, id quod saepissime apud scriptores aetatis posterioris reperitur; quo sensu etiam tertii scholii auctor illud intellexit.

Mire et in Porphyrionis scholio et in „Acronianis" Labeo Horatianus iurisconsultus ille M. Antistius Labeo intellegitur, quamquam eo, quo primus satirarum liber compositus est, tempore, inde ab anno DCCXIV usque ad DCCXIX, Labeo ille, cum ex iudicio communi[35]) inde ab anno DCLXXXXV usque ad DCCLXV fuerit, ad res publicas nondum accessisse putandus est. Sed ex falso illo iudicio nihil aliud nisi hoc concludendum est, Porphyrionem et Acronem, si ipsi huic alterum ex scholiis „Acronianis" tribuendum est, quo tempore singula carmina ab Horatio scripta essent, nondum ad certam rationem redegisse. Itaque Porphyrionis scholion, cum ea, quae de Labeone narrantur, aliorum auctorum testimoniis[36]) probentur, minime ab illo abiudicare licet. Ex „Acronianis" autem alterum, quod et in primo enuntiato „verbum finitum" deest et per „ideo etiam" prorsus contra omnem latinitatem ac nostra potius dicendi ratione („darum denn auch") duo enuntiata coniunguntur, ipso Acrone indignum existimo; prius, quamquam in γ solum legi videtur, tamen, quod nullam difficultatem habet, ipsi illi tribuendum censeo; illud enim, quod Acron et Porphyrion de Labeonis persona eodem errore tenentur, non ita multum mirandum est.

Ad vv. 86—89 „Acron" habet:

86. ut Rusonem d. a. Significat hunc Rusonem foeneratorem fuisse et eundem historiae malum scriptorem, qui solitus esset a debitoribus suis audientiam exigere.

87—89. qui nisi c. t. Qui. debitor. Ordo est:

qui nisi undeunde extricat numos. Qui debitor nisi paraverit usuras aut sortem, audiet historias Rusonis

---

35) cf. Teuffelii histor. litterar. latin. edit. alt. Nro. 260, p. 556. 557.

36) cf. Pompon. Dig. I, 2, 2, 47; Suet. Aug. 54; Anteius Capito ap. Gell. XIII, 12.

foeneratoris, i. e. lites et convicia. Alii dicunt: historias, quod is malus historiographus fuerit, adeo ut debitores eius, cum non haberent, unde redderent, pro paena eum recitantem suas historias paterentur audire.

misero. Debitori. venere Kal. Quia in Kalendis (sicut in Epodo dixit in Idibus), quibuscumque credita erat pecunia, reddere cogebantur. Et iste debitor nisi undecumque extricasset, i. e. collegisset mercedem aut nummos, audiebat, ut captivus, amaras historias porrecto iugulo, quasi morti addicendus esset.

iugulo. Iugulus incerti generis est; nam et hic iugulus et hoc iugulum dicimus.

historias. Iniurias, contumelias. Ordo: ut captivus, audit. Ast hic allusit, quoniam malus historiographus dicitur fuisse.

Horum scholiorum ex secundo primum „Qui. debitor", quod in γC solum legitur atque prorsus supervacaneum est, deinde „ordinem" illum, quod nimis plane se habet, secernendum esse apparet. Jam ea, quae usque ad „convicia" leguntur, per compositionem suam maxime offendunt; primum enim ad relativum verbum „debitor" inutiliter repetitum est; deinde „foeneratoris" significatio in explicando v. 86 potius, quam hic, adhibenda erat. Ea autem, quae per formulam „Alii dicunt" incipiunt, ex eo, quod „historias" solum pro lemmate positum est, post illam demum, quae antecedit, eiusdem verbi explicationem quasi ad corrigendam illam illata esse maxime verisimile est, atque equidem formula „Alii dicunt" primum scholion „Acronianum" atque Porphyrionem significari puto; apud hunc enim legitur:

86. odisti et fugis ut Rusonem deb. aeris. Octavius Ruso acerbus foenerator fuisse traditur, idem scriptor historiarum, ad quas audiendas

significat solitum fuisse cogere debitores suos, quibus scilicet talia audire paena gravissima erat; hoc enim significat porrecto iugulo.

Deinde in tertio scholio verbi „misero“ explicatio plane supervacanea est; ea autem, quae sequuntur, in γ (C) omittuntur; accedit, quod et contra leges grammaticas ad „Kalendis“ et ad „Idibus“ praepositio „in“ addita et pars scholii posterior cum priore nimis ineleganter (Et iste debitor . . . .) coniuncta est; deinde pars altera nullo modo ad lemma (venere Kal.) pertinet, neque quidquam, nisi „porrecto iugulo“ per multa verba illa explicatur; quibus ex rebus totum hoc scholion serius factum esse apparet. — Jam illud, quod de „iugulo“ dictum est, quia recte se habet, genuinum atque ex ipso Acrone haustum existimo.

Restant igitur scholion primum et extremum, quorum in altero „historias“ Horatii proprio sensu, in altero translato pro „iniurias, contumelias“ intellegitur, quam ob rem unum solum antiquum esse potest. Singula igitur si probamus, extremi „ordinem“ illum, quod nimis planus est, et ea, quae sequuntur, quod Rusonis nomen pro subiecto desideratur, tempori posteriori tribuenda puto; quod idem etiam de „historiarum“ explicatione existimo; antiqua enim si illa esset, mea quidem sententia etiam de Rusonis persona aliquid haberet; quod ipsum cum primum scholion contineat atque bene compositum sit, antiquum atque vere Acronianum illud esse videtur; sane fortasse aliquis obiiciet, quod eandem atque Porphyrion „historiarum“ explicationem sequatur; at a Porphyrione tota forma sua distat, atque consensum illum sic explicandum puto, ut scholiastas ex communi fonte, fortasse ex iis, „qui de personis Horatianis scripserunt“, hausisse statuamus; tum sane idem de his atque de iis, quae ad

primae satirae vv. 101. 102 exstant, scholiis iudicandum est; de quibus conferantur, quae ibidem dixi.

Ad. v. 130 apud „Acronem“ legimus:

ut Alfenus v. o. Abi. instr. artis. Urbane satis Alfenum Varum Cremonensem deridet, qui, abiecta sutrina [37]), quam in municipio suo exercuerat, Romam venit magistroque usus Sulpicio iurisconsulto ad tantam pervenit scientiam, ut et consulatum gereret et publico funere efferretur. Aliter: Alfenus, sutoris filius, qui ita iuris studio intendit, ut beneficio artis huius latum clavum sumeret et ad consularem consurgeret dignitatem. Sunt, qui dicant hunc Cremonensem fuisse. Vafer autem astutus, cordatus. Antiqui etiam pro bono hoc dicebant.

Horum scholiorum primum ad verbum fere ad Porphyrionem spectat, apud quem legitur:

ut Alfenus vafer o. a. i. a. c. t. sutor erat. Sic, inquit, Stoicus et rex et quidquid sibi adsignat, ut alii, potest dici, ut Alfenus sutor, quamvis tabernam clauserit et omne instrumentum sutrinae vendiderit. Urbane autem Alfenum Varum Cremonensem deridet, qui abiecta sutrina, quam in municipio suo exercuerat, Romam petiit magistroque usus Sulpicio iuris consulto ad tantum pervenit, ut consulatum gereret et publico funere efferretur.

Itaque in dubium vocari non potest, quin ex Porphyrione illud translatum sit.

---

37) Formam femininam posui, non „sutrino“ cum Hauthalio, quod illam omnes et „Acronis“ et Porphyrionis codices habent, nisi quod in γ pro „quam“ „quod“ et in $B\varphi$ „abiecto sutrino, quod“ legitur, quorum illud facile ex errore librarii factum, hoc propter codicum $B\varphi$ naturam nullius momenti esse potest.

Alterum scholion, quod quidem usque ad verba „consurgeret dignitatem" pertinet, admodum bonum atque ipsius Acronis mihi esse videtur; nam, quod in editionibus mva omittitur, nullam illis auctoritatem tribuemus, et, quod non ipse sutor, ut a Porphyrione, sed filius sutoris Alfenus nominatur, nullam mihi quidem offensionem habet atque sic explicandum videtur, ut tempus brevissimum tantum ipsum sutrinum exercuisse statuamus. Extrema autem „Sunt qui dicant hunc Cremonensem fuisse" postea addita atque ad Porphyrionem spectare existimo. Quae deinde sequuntur (Alfenus astutus . . . . : γ; rell: Vafer autem astutus . . . . .) ex codicis γ forma et ex eo, quod in illo ante alterum scholion, in ceteris post illud posita sunt, serius orta esse apparet.

Iam fidem eorum, quae a scholiastis de Alfeno traduntur, non satis firmis argumentis Ever. Otto (in Thesauro iuris Romani p. 1642 sqq) evertere mihi videtur, atque, si illud, quod supra statuendum proposui, comprobamus, tempus brevissimum tantum Alfenum sutrinum exercuisse, quae scholiastae tradunt, admodum probabilia existimanda sunt. Jis autem, quae vir ille doctus de Alfeni persona vitaque ipse coniecit, equidem nullam verisimilitudinem tribuo.

Sat. 4.

Ad v. 21 commentarius „Acronianus" haec praebet:

Beatus Fannius. Est poeta, cui ultro delatae sunt capsae, ut suos libros mitteret et in auctoritatem reciperentur [38]). — Fannium quendam non

---

38) Hoc γ praebet; „auctoritatem reciperent" (G) et „auctoritatem reciperet" (mvafh) ab usu verbi „recipere" prorsus abhorrere mihi videtur; „in auctoritatem reciperetur" (C) sane per se etiam aptius, quam illud codicis γ, esse puto; sed auctoritatem huius codicis sequendam esse existimo.

satis bonum poetam recepit in auctoritatem senatus. — Fannius iste malus poeta fuit, qui, dum ante contempsisset datam sibi imaginem a senatu, postea, dum moreretur, petiit, ut, delatis in publicum capsis suis, cum libris propriis suis incenderetur. Aliter: Fannius loquacissimus poeta fuit, cui senatus audiendi fastidio ultro imaginem capsas dedit. — Item aliter: Fannius quadratam[39]) eo tempore satiram scribebat et erat sine liberis. Huius imagines et libros heredipetae in publicas bibliothecas referebant, nullo merito dictionis.

ultro. sine cura ipsius Fannii.

delatis capsis. ad bibliothecam.

et imagine. Quia is, qui fuisset in auctoritatem receptus, eius imago ponebatur[40]) quasi opinatissimi poetae.

Primam explicationem ex eo, quod verba „et imagine" plane negleguntur et ratione nimis arcessita (pro „imagine sua domum suam delata, id est sibi donata") secundum illam explicanda sunt, serius factam esse apparet. — Idem de secunda iudicandum est, quod Horatii tempore senatus consulta de „poetis in auctoritatem recipiendis" non facta sunt, atque de tertia propterea, quod, quae in illa traduntur, nullo modo vera, sed potius partim ex Horatii verbis coniecta, partim sine dubio ficta sunt; ad partem enim posteriorem („postea, dum moreretur, ... incenderetur") quod attinet, rectum O. Jahnius[41]) vidisse mihi videtur, qui inde ortam illam

---

39) Hoc cum Hauthalio ex Gva scripsi, quod etiam codicis γ „quadrato" ex illo ortum esse videtur; „Quadratus", quod mfhC praebent, sine dubio temere per mutationem factum est.

40) fhC interpositum habent „inter poetas."

41) cf. Mus. Rhen. 1843, p. 589.

esse existimat, quod auctor scholii Horatii „beatus“ idem atque graecum „μακάριος“ et Persii „beatulus“, id est nostrum „selig“ (im Jenseits) intellexerit; priora autem, quod cum illis cohaerent, sine dubio ficta sunt. — Item quartum et quintum scholion, quorum prius in Gmva deest, cum Horatii verbis simpliciter atque recte explicatis minime consentiunt, ac perversissima potius illorum explicatione profecta esse videntur; praecipue quinti auctor plane halucinatus est, cum et formam singularem „imagine“ pro „imaginibus“, maiorum scilicet, intellexit et quaerens, quinam „Fannii imagines et libros“ „in publicas bibliothecas retulissent“ „heredipetas“ sibi finxit; accedit, quod etiam ipse, ut tertii scholii auctor, verbo „beatus“, id quod minime probandum est, Fannium pro mortuo significatum fecit. Quas ob res ne haec quidem scholia genuina esse possunt.

Restant igitur scholia, quae ad singula verba scripta sunt, quae et ipsa non dubitandum est, quin non ab ipso Acrone profecta, sed serius facta sint, ita ut nihil genuini ad hunc locum exstare efficiatur.

Ad vv. 65—70 apud „Acronem“ legimus:

65. Sulcius acer Ambulat et Caprius. Sulcius et Caprius nomina fuerunt delatorum. Alii actores volunt fuisse causarum; inde etiam rauci traduntur assiduitate agendi. Hos Quidam accusatores accipiunt, Alii amaros satiricos.

66. rauci male. Pro valde.

67. latronibus. Male viventibus, vitiosis.

libellis. In quibus accusationes continentur.

69. Ut sis tu similis Caeli Birrique latr. Non ego sim Caprii neq. Su. Ut sis. Pro „si“ posuit. Caelius et Birrius perditi adulescentes fuerunt. Si tu vis, similis esse male viventibus, cur ego per carmen istud videor similis esse accusatori-

bus? et est subintellegendum[42]) similis. latronum. Vitiosorum.

70. Cur metuas me? Id est: ego debeo mordere vitiosos.

Primi scholii pars prior, quae quidem usque ad „agendi" pertinet, in γ omittitur; atque huius verba posteriora („Alii actores . . . . . agendi") nullo modo antiqua esse possunt; nam, quod „actores causarum" Sulcium et Caprium fuisse ex „aliis" traditur, cum ex ipsius Horatii verbis accusatorum potissimum munere eos functos esse appareat, antiquo fonti nequaquam illud tribuendum est; deinde, quod, quid „rauci" significet, ex „aliorum" sententia explicatur, scholiasta, qui aliquid momenti haberet, ex suo potius iudicio illud explicasset; atque mihi quidem ad Porphyriorem haec spectare videntur, apud quem legitur:

Hi acerrimi delatores et causidici fuisse traduntur, et ideo rauci, quod in contentione iudiciorum clament.

Sed illud quoque, quod γ habet („Hos Quidam . . . . satiricos"), quod duae hic diversae sententiae ita, ut neutra probetur, proponuntur, serius ortum existimo; quam ob rem fortasse primum illud („Sulcius et Caprius . . . . . delatorum"), quamquam in γ deest, tamen, quod omnium optime se habet, antiquum atque ipsius Acronis putandum est, nisi ex Porphyrionis scholii, quod retuli, exordio translatum id esse statuimus.

Duo, quae sequuntur, scholia, alterum, quod in γC tantum exstat, alterum, quod sensus nimis generalis verbo „latro" tribuitur, secernenda esse puto. Explicationem

---

42) Sic in γ legitur; quod ceteri codices habent, „sublimis invectio," sublimis ex „sub similis" (γ; per „b" linea transversa ducta est) corrupto ortum atque „invectio" temere additum esse videtur.

autem verbi „Libellis," si prima illa v. 65 explicatio Acronis est, et ipsam ei tribuam.

Jam v. 69. explicationis prima pars in γ solum legitur atque prorsus inutilis est, secunda („Caelius et Birrius . . . . . . fuerunt") ad falsam illam verbi „latrones" explicationem quadrat; tertia autem admodum bene Horatii verba explicat atque fortasse ipsius Acronis est. — Extremam autem verbi „latronum" explicationem, quam quidem γ tantum habet, iam refutavi. Postremam verborum „cur metuas me?" explicationem, prorsus ab Horatii sententia alienam ob eamque rem secernendam esse apparet.

Jtaque cum perpauca hic ex ipsius Acronis commentario exstare videantur, plura tamen ab illo scripta esse mihi quidem verisimile est.

Ad v. 94 „Acron" habet:

A. secundum γ:

de Capitolini furtis iniecta Petilli. Fingit se loqui cum quodam, qui amicus sit Petillii, amici Caesaris, qui accusatus, quod coronam Jovis Capitolini rapuisset, absolutus est. — Cum Capitolio praeesset, coronam rapuit. Est autem genitivus:[43]) de furtis Petillii Capitolini. Nam ex crimine Capitolinus Petillius dicebatur. — Hic de exspoliatione Capitolii accusatus, dubium, utrum gratia iudicum sit absolutus. tamen Capitolinus vocabatur. — Petillius dum Capitolii curam gereret, coronae sublatae causam dixit, et Augusto absolutus est.

B. secundum reliquos codices:

Petillius cum Capitolio praeesset, coronam rapuit. Est autem genitivus: de furtis Capitolini Pe-

43) Hanc interpunctionem, quam Hauthalius neglegit, ponendam esse apparet.

tilli; nam ex crimine Capitolinus Petillius dicebatur de exspoliatione Capitolii accusatus. Dubium autem, utrum gratia iudicum sit absolutus; tamen Capitolinus vocabatur. — Petillius dum Capitolii curam gereret, coronae sublatae causam dixit, et absolutus est ab Augusto: Fingit se loqui cum quodam, qui amicus sit Petilli amici Caesaris.

Primum atque secundum scholion codicis γ cum in ceteris, in quibus illud mutilum est, alium locum teneant, primo in margine addita fuisse videntur, id quod de secundo etiam eo probatur, quod γ in ineunte „Petillii" nomen omittit; accedit, quod primi illud „amici Caesaris" ex Porphyrionis „absolutusque a Caesare est" conclusum esse videtur; in secundo autem „Capitolini — Petilli" ad „furtis" referendum esse inutiliter dicitur. — Quartum codicis γ scholion, quod ceteri discerptum habent, ad verbum fere Porphyrionis huic scholio respondet:

Petillius (autem) Capitolinus, cum Capitolii curam ageret, coronae subreptae de Capitolio causam dixit absolutusque a Caesare est.

Tertium autem codicis γ scholion per totam naturam suam ad tempus antiquum spectare videtur, cum, quod dicitur „dubium, utrum gratia iudicum sit absolutus," hoc vix ab homine temporis posterioris profectum esse possit, quem quidem aut Porphyrionem secuturum aut nihil de causa absolutionis additurum fuisse equidem puto; atque, quod illud ipsum a Porphyrionis scholio dissentit, facile de tam parva illa Petillii causa iam antiquo tempore diverse traditum fuisse potest. Quam ob rem ex ipso Acrone hanc explicationem haustam esse existimo. Sane ad Sat. I, 10, 28 in scholiis „Acronianis" positum est:

Aliter: Id est: quando . . . . defendis Petillium? Petillium hunc dixit superius coronam rapuisse de Capitolio; qui quamvis absolutus

est, tamen duram causam habuit; nam ab Augusto absolutus est.

Haec quamquam ad quartum codicis γ scholion referenda esse apparet, tamen hoc tantum iis probatur, eo, quo illa scholiis „Acronianis“ addita sunt, tempore quartum illud scholion iam inter „Acronis“ scholia positum fuisse.

Sat. 5.

Ad v. 27 apud Porphyrionem legitur:

Huc venturus erat Maec. et reliqua. Dissensione orta inter Caesarem Augustum Antoniumque, Cocceius[44]) Nerva, proavus[45]) eius, qui postea[46]) imperavit, petit a Caesare, ut aliquem, qui[47]) de summa rerum tractaret, mitteret Tarracinam. Et primum Maecenas, mox et Agrippa adgressi sunt.

---

44) Equidem non intellego, quare Hauthalius „Lucilius“ posuerit, cum hoc non solum in 2v tantum legatur atque ita, ut in illo codice ab altera manu „Cocceius“ supra positum sit, sed etiam per „Acronis“ scholion atque per Appiani belli civilis V, 61 refellatur.

45) Codices quidem „avus“ exhibent; sed et ex re ipsa et ex „Acronis“ scholio „proavus“ scribendum est.

46) „Romae,“ quod mfh hic interpositum habere videntur, propter ceterorum omnium codicum auctoritatem interpolatum iudicandum est.

47) Hoc cum afh posui pro „cum quo,“ quod Hauthalius ex ceteris codicibus excepit, ea de causa, quod hoc talem sententiam efficit, quae rei ipsi, quae hic narratur, prorsus repugnet; illud enim si ponimus, Nervam causam Antonii agendam sibi sumpsisse efficitur, cum tamen Appianus l. c. V, 61—66 nihil aliud tradat nisi ab Octaviano illum petiisse, ut legatos ad ipsum Antonium de foedere renovando atque confirmando mitteret; accedit, quod in scholio „Acroniano,“ quod ex magna parte Porphyrionis simillimum est, „qui . . . .“ legitur.

Hi quoque pepigerunt[48]) fidem confirmatissimam, et in una castra conferri signa utriusque exercitus iusserunt. Hoc et Titus Livius in libro CXXVII refert, excepta Fontei Capitonis mentione.

Ad vv. 28. 29. „Acron" habet:

28. missi magnis de rebus uterque. De reconciliatione missi erant legati ab Augusto ad Antonium, qui postea bellum civile gesserunt; iam tunc enim dissentire coeperant.

29. aversos soliti conp. am. Aversos. Discordantes. Quoniam inter Augustum et Antonium reliquiae[49]) erant dissensionis[50]), Cocceius Nerva proavus Nervae, qui postea inperavit Romae, mandavit Augusto, ut mitteret, qui de summa rerum tractaret. Ergo missus est Maecenas cum Agrippa, qui utrumque exercitum in una castra coegerunt. Hoc ait Livius[51]) libro CXXVII; intellegendum autem, quod Fonteio misso ab Antonio, Augustus Maecenatem et caeteros ad eundem locum miserit.

Alterius „Acronis" scholii verbi „Aversos" explicatio, quam γ tantum habet, serius orta esse videtur. Neque minus reliquum scholion ab ipso Acrone abhorrere has tres ob causas existimo. Primum non ad hunc versum, sed ad antecedentem potius pertinet; deinde ex primis verbis („Quoniam inter Augustum et Antonium reliquiae erant dissensionis") auctorem foedus Tarentinum, non

---

48) Sic cum codicibus deterioribus scripsi pro „pepigerant," quod MRG habent, quod tempus plusquamperfectum nullo modo hic quadrat.

49) „adhuc" cum γG mva omittendum puto.

50) Hauthalius maiorem interpunctionem hic posuit, id quod equidem non intellego.

51) Codices quidem „Licinius" exhibent, quod ex „Livius" male ortum esse apparet.

Brundisinum intellexisse apparet, id quod perversissimum mihi quidem videtur[52]); de Tarentino enim nihil aliud notum est nisi Octaviam Octavianum fratrem et Antonium maritum ad illud adduxisse[53]); tertio loco illud offendit, quod in exeunte scholio verbum „Intellegere" sine ulla causa probanda cum coniunctione „quod" constructum est. Atque, ad rem quod pertinet, cum in universum hoc scholion cum Porphyrione consentiat, equidem non dubito, quin illinc sumptum sit; nam, quod exordia scholiorum inter se discrepant, eo, quod Porphyrion foedus Brundisinum significare pro certo habendum est, hoc scholio Tarentinum significari apparet, sic illud explicandum videtur, ut huius scholii auctorem poetae verbis „aversos soliti componere amicos" in errorem adductum Porphyrionis verba consulto mutasse statuamus; iam, quod Porphyrion ad „mitteret" habet „Tarracinam", quod hic deest, in ipsius Porphyrionis scholion interpolatum illud esse videtur, quod ab antiquis auctoribus, praesertim ab Appiano l. c. V, 61 sqq., nihil de Tarracina traditum est.

Prius „Acronis" scholion nihil offensionis habet, cur ab ipso Acrone abiudicemus; nam quod significatio „tunc" paulum liberius pro „tum" usurpata est, grammatico facile hoc concedimus.

Iam si res ipsas, quae in scholio Porphyrionis et in altero „Acroniano" narrantur, probamus, sane, quod dicitur etiam Agrippa ab Augusto legatus missus esse, quamquam Appianus l. c. c. 64. 65 de illo nihil dicit, tamen ab Livio hoc relatum esse Porphyrioni credendum est; sed falso in utroque scholio[54]) ex eo, quod Fonteii

---

52) Dillenburgerus quidem in editione Horatiana illud probavit.

53) cf. Appianum l. c. V, c. 93—96.

54) Etiam Porphyrionem hoc conclusisse ex extremis verbis verisimile videtur.

ab Horatio mentio fit, etiam illum inter legatos fuisse conclusum est.

Ad v. 37. „Acron" habet:

in Mamurrarum[55]). Apud Formias ostendit se mansisse. In Formiis civitate[56]), quia Mamurrae quidam fratres dicebantur senatores, qui maximam partem Formianae civitatis possidebant; ideo dicebatur Mamurrana civitas. Mamurrarum, ut Lamiarum, familiam dicit, quae[57]) a Formiis originem duxit.

In primo enuntiato quod „Apud Formias" pro „Formiis" dictum est, hoc, quod etiam Tacitus saepe sic praepositionem „apud" cum urbium nominibus coniungit, nullo modo ab Acrone abiudicari potest. „In Formiis civitate", quod prorsus legibus grammaticis repugnat, postea quasi ad corrigendum illud in margine positum esse videtur. Quod deinde de familia „Mamurrarum" dicitur, quod partim cum Porphyrionis scholio (. . . . Mamurrarum familia, honesto loco nata") convenit, partim („qui maximam partem Formianae civitatis habebant"), quamquam in illo non positum est, tamen ad notas familiae illius divitias (cfr. Plin. H. N. XXXXVI, 7) optime quadrat, plane probandum atque ab ipso Acrone ex fonte antiquo allatum esse puto. Extrema pars („Mamurrarum . . . . duxit") quod est supervacanea, sine dubio serius illata est.

---

55) Quod „Mamurrarum urbs" explicatur, „urbem" addendum puto.

56) Quod in codicibus exstat, „in Formias civitatem", quod nullo modo intellegi potest, sine dubio male factum est.

57) Sic sine dubio cum Hauthalio scribendum est pro „familias dicit. Quae."

Ad v. 97 apud „Acronem" legimus:

Bari moenia pisc. γ: Atbaris dicitur hodieque, ut dixit grammaticus Theotistus. Aliter: civitas Apuliae, quae appellatur Barium.

fh: Bari civitas Apuliae, quae appellatur Barium.

rell: Civitas est, quae Atbaris dicitur hodieque, ut dixit grammaticus Theotistus.

C.: Barium civitas est Apuliae. alia autem est, quae Grammatico Theotisto dicta est Baris.

Primum codicis γ scholia si spectamus, prius ex eo, quod grammaticus Theotistus, qui medio fere saeculo V p. Chr. n. floruit, commemoratur, post hoc tempus ortum atque ab ipso Acrone abiudicandum esse apparet; ipsum autem illud sine dubio corruptum est, cum „Atbaris" pro antiqua forma „Barium" nullo modo usurpatum esse possit, atque equidem in „At" atque „Baris" illud discernendum esse puto, id quod etiam „Commentatoris Cruquiani" scholio probatur atque eo, quod post alterum scholion ortum esse videtur; hoc enim, quod recte se habet, ipsi Acroni equidem tribuam; quod secundo loco atque cum verbo „Aliter" positum est, hoc, quod saepe in commentario „Acroniano" scholia serius facta priorem locum tenent, nullam offensionem habet; „Bari" autem, quod fh cum eodem scholio coniunctum habent, „lemma" potius esse apparet; ad ceteros codices quod attinet, in C duo scholia paulum mutata sunt, atque in reliquis, in quibus quidem saepius liberiore quodam modo scholia „Acroniana" tractata sunt, alterum amputatum cum priore ad unum coniunctum est.

Jam satis multa scholia me tractavisse puto, ut de universo commentarii „Acroniani" genere atque natura iudicare liceat; atque equidem haec statuo: iam antiquo tempore ex grammatici Helenii Acronis commentario ab ali-

quo homine Horatii studioso multa scholia in poematum illius codicem translata esse; quae in iis, qui ex hoc fonte fluxerint, codicibus scholiis et ex Porphyrione petitis et ipsorum lectorum atque librariorum, partim minime eruditorum, magis magisque amplificata esse, ita ut iam in archetypo, qui dicitur, nostrorum „Acronis" codicum ipsius Acronis scholia plane obruta fuerint; deinde etiam in singulis nostris codicibus vel eorum „archetypis" proximis alia scholia nova admixta esse.
